NOMENCLATOR PHILOLOGUS

Explicans

Verborum difficiliorum

Etymologias , Origines , Proprietates, & Diferentias,&c.

A'

JOHANNE ADAMO SCHILL.

A' litera I. usque ad Z.

TOMUS SECUNDUS.

ISNACI MDCLXXXII.

JANITRICES dicuntur mulieres à *januis*, ut viri *janitores*. Sed & *janitrices* dicuntur duorum fratrum uxores: ut ait Modestinus l. 4. §. adfines. in fin. de grad. & adfin. In Gloss. quoque Philoxeni legitur: *janitrices* δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, σύμφονοι. Sic autem dicuntur, non quidem quod *eandem januam pulsent*: ut boni Decretalium Patres existimarunt; quos hoc nomine meritò ridet Alciatus: Verùm potius, ut ad Catullum monuit Scaliger, quòd *pariter adversum lectum januæ sternant, inque eo tanquam custodiæ causâ cubare soleant*. Quippe apud Romanos ea consuetudo fuit, ut quæ uxor primùm in manum viri convenisset, ea sibi in atrio domus, *ante ipsam januam lectum sterneret*, qui idcircò dictus *adversus*. Propertius:

Si tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit aut nostro cauta noverca toro.

Laberius Compitalibus:

Nunc lentus es, nunc tu susque deque fers,
Materfamilias tua in lecto adverso sedet,
Servis sex tantis, vernulis nefariis.

Asco-

Asconius in Milonianâ: *Deinde omni vi januâ expugnatâ; & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt, itemque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Etiam quod Catullus* IANUAM *vocat maritam, id ab hoc more est, quod matronæ adversum lectum ante* IANUAM *sternebant.* Vossius.

JANUA est ingressus primus ad interiora domus. Dicta à *Jano*, cui veteres omnem introitum & exitum consecrabant, teste Cicer. lib. de N.D. Differt ab *ostio*, quod id magis propriè de introitu in cubiculum usurpatur, quomodo *porta* ad Civitates, Arces, Palatia pertinet. Beyerl.

Partes januarum superstitiosa Antiquitas singularibus Diis sacras esse voluit. Ita *Cardines*, Cardeæ Deæ (quam quidam libentius Carnam vocant) quæ; ut canit in 6. Fastor. Ovidius, ab Jano compressa acceperit cardinum potestatem, prius Crane nuncupata, dein per antisthichon Carna: Hinc & *Cardineam* viri alioquin eruditi, inter quos Sipontinus, appellarunt. *Cardines* ab eo munere, quòd in valvis ostiisque sustinendis

præ-

præſtant, dignitatem, autoritatem, reique ſummam ſignificare Pierius docet libr. 49. Inde etiam *Cardinales* dicti.

Liminum ſimiliter cuſtodem atque præſidem finxerunt *Limentinum* Deum. De his ſic ſcribit Tertull. in lib. de idolat. *Certi enim eſſe debemus, ſi quos latet per ignorantiam literaturæ ſecularis, etiam oſtiorum Deos apud Romanos, Cardeam à cardinibus appellatum, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine & ipſum Janum à januâ.*

Nulli in januâ, quæcunque eſſet hora, veteres loqui fas eſſe arbitrabantur. Nam Pythagoricum & Ægyptiorum dogma ſapientum id fuit, quum Deum invenirent ſilentio eſſe colendum, à quo ſunt rerum primordia.

Limina quia ſacra Veteribus, idcircò limen calcari in ingreſſu domus ſine ſcelere à novâ nuptâ minime poſſe putabatur. Ita enim ingrediebantur illæ, ut limen pedibus non tangerent, neque per ſe tranſirent, aut tranſcenderent, ſed aliorum manibus ſublevarentur ac tollerentur, quod refert Plutarch. in Quæſt. Rom. ejusque rei rationes ibidem explicat. Huc pertinet illud

Catulli in carmine nuptiali Julii & Manulii;

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Postes similiter Veteres venerari fuerunt soliti. Valer. Max. libr. 2. cap. 5. scribit: *Prædones quosdam cùm à Scipione Africano foribus reseratis intromissi fuissent, postes januæ tanquam aliquam religiosissimam aram, sanctumque templum veneratos fuisse.* Huc quoque pertinet illud Virgilii 2. Æneid.

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes atque oscula figunt.

Apud Plaut. *limen inferum* & *superum* quâdam religione salutatur, & apud Tibullum liminibus oscula dantur, ut hîc apud Maronem *postibus*: Et qui ædem dedicabat, *postem* tenebat: Ad Deorumque placandam iram, *poste* caput tundebant.

Non ego (inquit Tibullus) *si merui, dubitem procumbere templis,*
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem pedibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

Et apud Poëtas amatores dant postibus serta.

Vetus quoque Romanorum mos fuit, ut

ut novæ nuptæ mariti domum intrantes, *axungiâ postes ungerent*, eâ enim religione tenebantur, ut axungiâ putarent pleraque mala pelli. Serv. lib. 4. Æn. morem fuisse ait, *ut nubentes puellæ simul, cum venissent ad mariti limen, postes, antequam ingrederentur, ornârent laneis vittis, & oleo ungerent, & inde uxores dictas*.

Sed Plinius & Massurius non *oleo*, aut *axungiâ*, sed *lupino adipe postes inungere moris fuisse prodiderunt, ne scilicet malum aliquod medicamentum inferretur.* Ab illo postes ungendi more *Unxia* Juno cognominata, teste Martiano. Beyerl.

IATRIA dicuntur præmia, quæ medico præstantur. Alciat. Spieg.

ICADISTÆ vid. *Tetradistæ.*

ICUNCULÆ. Erant in usu antiquitûs ad puerulorum oblectamentum icunculæ quædam eo artificio confectæ, ut cum quis unum funiculum attraheret, earum aut manus, aut collum, aut pes, aut alia aliqua pars corporis moveretur. Ea vocabant θαύματα, quòd pueris & multitudini admirationem commoverent, & qui tales icunculas lucelli atque quæsticu-

li causà circumferebant, νδριαντάσαι dicebantur. Lege cætera apud Muret. in 1. de Repub. Plat.

IDEÆ Platonicæ, à spectando sunt dictæ, quoniam qui aliquid est acturus, ideam inspicit, ad quam suam actionem aptet, ut pictori, qui de exemplari aliquid pingit, hoc exemplar est idea. Calvin.

IDIOTA vox est Græca, ab ἴδιος id est proprius. Unde *Idiota*, ùt placet Bedæ, is est, qui proprio tantùm naturalique idiomate seu linguâ & scientiâ contentus, nescit studia literarum. Sic dicitur in Actis Apost. c. 4. *Principes & Seniores Judæorum existimasse Petrum & Joannem esse idiotas, & sine literis.* Et Cicero act. 4. in Verrem, & alibi, opponit *idiotam ingenioso* & *intelligenti.* Apud Latinos crebrior est significatio *idiotæ*, quàm pro *privato*, quique nullo munere fungitur. Beyerl.

IDUARE, antiquum verbum, *separare* significat. Unde & *dividere* verbum, & *Idus* dicti Macrobio. Spieg.

IDUS dicuntur *divisiones*: unde proprie existimantur dies, qui dividunt mensem. Dividunt enim menses præcipue

pue Nonas à Calendis. Vid. *Calendæ.*

Inter festos celebratosque dies, quos in honore Deorum vetus religio sanxit, *Idus* præcipuè solemnes semper fuisse accepimus. Nam præterquam quod omnes idus Jovi feriatas, & à flamine diali bovem immolari singulis Idibus perspectum sit: tamen præcipuæ quædam erant feriæ Idibus dicatæ, quas veteres coli observarique jusserunt, ut illas prætermittere & insolemnes relinquere, ducerent nefas. Videsis illas lib. 3. cap. 18. Alex. ab Alexandr.

JEJUNIUM. Ethnicis antiquis in usu fuisse jejunium constat. Seneca ep. 68. *Alius levat vomitu stomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interposito jejunio corpus exhaurit & purgat.* Athenienses *abstemia sacra* Memoriæ, Musis, Nymphisque instituerunt, nullo vini usu. Apud Romanos jejunium illud, quo sacra Cereris celebrabantur, quoque pane vesci nefas erat, dicebatur *Castum Cereris.* Vinum etiam his sacris non inferebatur, unde *Cereri sacrificare* dicuntur, qui in convivio vini nihil adhibent. Plaut. in Aulul. *Cererine hi facturi sunt nuptias, quia temeti nihil allatum intelligo.*

JENTACULUM est refectio matutina, quam Græci appellant Ἀκρατισμὸν vel ἀκράτισμα, quod Athenæus dicit libr. 1. πρωϊνὸν ἔμβρωμα, id est, cibum matutinum, ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, h. e. à vino mero, non lymphato. Offulas enim mero imbutas manè sumebant.

Etiam Veteres voce ἄριστον pro jentaculo usurpabant, eandem recentiores pro prandio accipiunt. Plautus in Curcul. ait:

Nunc ara Veneris hæc est, ante horum fores,
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.

hoc est, Lambino interprete, vovi me primâ luce, quâ pueri sumunt jentaculum, Veneri sacra facturum Et Martial. l. 14. Ep.

Surgite, jam pueris vendit jentacula pistor.

Apulejus *jentaculum* ambulatorium cibum dixit, quòd ambulando sumi soleat, vel deductum est ab equis; qui ambulando in pratis carpunt cibum. Quinimò matutinum epulum Græci existimabant suavissimum, ideòque ἄριστον appellabant. Beyerl.

IGNIS & *AQUA*. Veteres cum veram Dei creationem non satis perciperent, arbitrabantur, his duobus elementis, *igni* & *aquâ* produci omnium animantium vitam

vitam. Ideò nuptiarum fœdera interventu ignis & aquæ celebrabantur, ut testatur Scævola in l. penult. de Donat. inter vir. & uxor. Calvin. Vid. *Aqua*.

Ignem non semper Veteres domi excitabant, sed à vicinis plerumque petebant, neque eum facile negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valde alienum esse ab ipsâ humanitate, & vitâ hominum atque naturâ, quæ aquâ & igni carere non potest. Hinc Plautus Trin. *Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.* Et Aulul. eodem respiciens. *Cave quendam alienum in ædes intromiseris.* Sᴛᴀ. *Quid si quispiam ignem quærit?* Eᴠ. *extingui volo. Ne causæ quid sit, quod te quispiam quæritet. Nam si ignis vivit, tu extinguere extemplò.*

Ignis, quem Persæ *sacrum* & *æternum* vocabant, in focis pro Lare familiari adorabatur, ac Rege vitâ functo extinguebatur. Diodor. Sic. 17. Huic dicata sacraria quædam, quæ πυρεῖα & πυραθεῖα vocantur: quorum custodia Magorum fidei, curæ ac vigilantiæ credebatur. Strabo 15. Suidas πυρεῖον interpretatur θυμιατήριον. Usqueadeò autem ignem coluerunt, ut eo nomine

quælibet πυροειδῆ venerarentur. Hinc factum, quod pyropo, ceu flammas imitanti, honorem exhibuerint. Strabo 15. Ab hoc Persarum cultu fluxit mos apud posteriores Imperatores, ut iis ignis præferretur. Huic similis fuit Vestalium ignis apud Romanos, de quibus eximia habet Cl. Lipsius. Vid. & Brisson. de regno Pers. à princ. lib. 2. Not. in Q. Curt. l. 3. c. 3.

Ignem Persæ, quotidianum hoc elementum, rem voracem atque insatiabilem colebant. *Igni* sacrum faciebant. *Igni* alimentum suppeditabant, acclamabantque: *Comede ô Domine.* Max. Tyrius Dissertat. 38. *Tam religiosè ignem, ut præcipuum Deum venerabantur, ut cremare corpora nefas ducerent, ne cadaveris contagio Deum maximum violarent.* Herodot. lib. 1. Strabo. lib. 15.

ILICET factum est ex *ire licet:* haut aliter, ac *scilicet*, ex *scire licet*, *videlicet* ex *videre licet.* Donatus in Phorm. act. 1. Scen. 4. Semper *ilicet* finem rei significat, ut *Actum est.* Dictum per syncopen. Sic Judices de consilio dimittebantur, suprema dicta quum præco pronunciasset, ILICET. Quod ipsum legere est apud Servium ad illud 2. Æn. Ilicet

Ilicet obruimur numero.

Voce autem hac non tantùm præco in judiciis dimittebat Judices, sed & præfica in funeribus utebatur eâ, cadavere ustulato cæterisque ritè peractis. Auctor Servius ad illud 6. *Æneid.*

Lustravitque viros, dixitq; novissima verba.

Id est, *Ilicet.* Nam *vale* dicebatur post tumuli quoque peracta solennia.

Idem Varro dicit, pyras ideò cupresso circumdari propter gravem victimæ odorem, ne offendatur populi circumstantis corona, quæ tam diu stabat, respondens flebitus præficæ, id est, principi planctuum, quamdiu consumto cadavere, & collectis cineribus diceretur novissimum verbum *Ilicet*, quod ire licet significat. Voss. Calvin.

ILLEGITIMORUM (ut utamur verbo apud JCtos recepto) alii vocantur

Incestuosi, puta ex cognatis procreati: Alii *Nefarii*, ex descendentibus suscepti: Alii *Spurii*, qui & *adulterini*, ex adulterio nati. Calvin.

IMAGO est collatio formæ cum formâ, cum quadam similitudine. Refertur non tantùm ad picturam & ceram, sta-

tuas,& ad ea,quæ fiunt ex marmore,ære,argento,& similibus: Sed etiam ad notas,quibus ea,quæ ediscenda sunt,notamus.

Sæpius etiam *imago* pro nobilitate generis accipi solet. Hinc *famosæ imagines*,quæ à majoribus degenerant,& fermè nihil imaginis eorum habent. Atque imagines hæ *stemmata* vocabantur. Spieg. Calvin.

Moris fuit, magnorum virorum imagines per genera distinctas habere: ideò utuntur Veteres particula *inter* in hac re. Vitruvius: *Inter Deorum sedes dedicari.* Sidonius lib. 9. Epistolarum:

Cum meis poni statuam pereunem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.

Scriptorum imagines ac statuæ separatæ erant ab aliorum simulacris, qui aliis artibus hoc præmium meruissent. Ipsi quoque scriptores distincti generatim fuerunt: quod eximiè declarat locus Taciti de statuis Germanici loquentis lib. 2. Annal. Casaub. in Sueton. Tib. Neron. cap. 70.

Imagines fumosas Cicero in Pisonem adpellat benè antiquas. Quibus opponuntur.

Subita

Subitæ imagines apud Plinium in Epist. pro recenti & nuper exortâ nobilitate. Ni magis placet, *subitas* interpretari, non diu duraturas. Connan. lib. 2. cap. 12. num. 8. Calvin.

Imagines majorum, id est, expressos cerâ vultus in Atrio exponere & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte primâ ædium, collocare, prisci Romani solebant, út Seneca lib. 3. de benef. cap. 28. Plinius lib. 33. cap. 2. docent. Ejusmodi imagines festis diebus apertas, profestis tectas fuisse indicat Seneca controverf. 6. lib. 7.

IMMOLATIO v. *Sacrificandi ritus*.

IMMORTALES *milites* vocabantur ob hoc, quod si quis eorum aut nece aut morbo numero imminueret, alius sufficiebatur. Erant robur exercitus Persici selecti ex nobilissimis & fortissimis Persarum.

IMMUNIS, qui nullo fungitur officio, liber ab onere publico, qui vel ætate vel alio privilegio præstare munia non tenetur. Festus.

IMPERATOR posterioribus temporibus dictus est Princeps Romanus. Olim

Olim verbum erat castrense & militare, quo Dux exercitus post aliquam insignem victoriam donabatur à militibus, ùt cùm Pompejus in Africâ superasset Domitium. Calvin. Vid. *Miles*.

Appellatio *Imperatoris* in historiâ Romanâ trifariam accipitur: *Primùm*, pro ἡγεμὼν & ϛρατηγὸς. Hoc sensu Imperator à militibus nominatus, qui imperium belli suis auspiciis administrandi à populo accepisset: Veteres, ùt notat Justinianus in Novellis, *prætorem* vocabant. *Deinde* pro *Victor* & νικητὴς. Nam qui res magnas bello gesserat & lege definitum hostium numerum occiderat, à militibus *Imperator* solitus salutari. *Postremò* *Imperator* idem significare cœpit à J. Cæsare, àc *Rex*. Vid. Isaac. Casaub. in Suet. J. Cæs. cap. 76.

Quæcunque gererent Imperatores Romani, ut quæcunque ad eos pertinerent, pro *sacris* & *divinis* haberi & dici voluerunt. Itaque plurimis in locis, præsertim in Constitutionibus, legimus dici, sacras aures Principis, sacra oracula, sacros effatus divinæ sanctionis, sacrum numinis consistorium, sacras absolutè, subaudi epistolas, sacros

sacros apices, sacrum responsum, sacras literas, cœlestia statuta, sacra scrinia, sacrum ærarium, sacrum stabulum, sacrum cubiculum, divina domus, divinus Princeps; divinus afflatus, divinus sermo, divina officia, divinæ stirpis Augustus &c. Bulengerus de Imp. Rom. lib. 1. cap. 14. Tornorup. in Panegyr. Claud. in Honor. *Sacras occupationes noluit audire Tiberius, coegitque appellare laboriosas.* Sueton. cap. 25.

Frequens apud Romanos laurea capitis decorum, & distincta radiis corona, ac purpurea chlamys insignia imperii fuêre. Aurelianus præter instituta majorum diadema usurpavit primus. Statius de Domitiano:

Tranquillum vultu, sed majestate serena
Mulcentem radios.

Posterioribus Imperatoribus mos peculiaris fuit, ut in ipsorum cubiculis esset Fortuna aurea, quam morituri ad eum transferebant, qui esset successurus in imperio. Capitolinus in Anton. Pio. Spartian. in Severo. Casaub. in Suet August. cap. 7.

Imperatores jamjam morituri annulum dabant iis, quibus plurimum vellent, vel quos successores instituerent, ut fecit Ti-

beris

berio Augustus. Tornorup. in Persium. De Alexandro moriente Justin. lib. 12. *Sextâ die præclusâ voce, exemtum digito annulum Perdiccæ tradidit: quæ res gliscentem amicorum dissensionem sedavit. Nam etsi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus esse videbatur.*

Annuli traditione antiquos hæredem, & successorem designasse patet ex Valer. libr. 7. in extremo. Solebant etiam morientibus detrahi. Plin. lib. 33. c. 1. *Gravatis somno aut morientibus religione quadā annuli detrahuntur.* Unde intelligas locum Spartiani, qui annuli lapsum spontaneum de digito Hadriani inter signa mortis ejus retulit. Et fortassis propter pollinctores detrahebantur. Nam post redditos iterum digito, & unà cum cadavere combustos, clarum fit ex Propert. lib. 4. eleg. 7. Et solitum digito beryllon ademerat ignis. Kirchm. de fun. Rom.

IMPIUS est, qui nullos omninò Deos esse credit, aut de eorum ipsorum, quos credit, Deorum legitimo cultu sciens prudensque detrahit quæstus sui causâ: ut quod superstitiosus timore, impius plerumque pro lucro suo faciat, &c. Conn. lib. 3. cap. 1. n. 3.

IMPIETAS & *Improbitas* sic differunt, quod *illa* fiat contra religionem, quâ Deo, patriæ & parentibus sumus obstricti; *hæc* verò contra bonos mores. Micræl.

IMPERARE est onus imponere, ùt *imperavit frumentum & alia, quæ bello usui forent.* Sallust.

JUBERE est velle aliquid necessariò fieri, quod ad dignitatē & utilitatē alterius pertineat, ùt *Regem populus jussit*; &, *Bellum ex autoritate patrum populus jussit.* Livius.

MANDARE verò est gerendum pronunciandumve aliquid alteri committere, unde *Mandata* appellantur præcepta Principum, quæ Præsidibus in provincias proficiscentibus dabantur, ut quod illis cautum esset & ipsi provinciales observarēt.

Hoc amplius: *Imperamus* non aliis modò, sed etiam nobismetipsis. *Jubemus* tantùm his, qui in nostrâ sunt potestate; *Mandamus* quibuslibet. Popma.

IMPLUVIUM locus est sine tecto in ædibus, quo impluere imber in domum possit. Ascon. Pædian.

INATERES duorum fratrum uxores, Græcis inter se vocantur: Sicut *Ælii*

lii, vel etiam *Aelii* dicuntur, quibus duæ nupſerint ſorores. Sororis autem meæ maritus non habet ſpeciale nomen, quo illum appellem: nec uxoris frater. *Daër* mariti dicitur frater. At ſoror vocatur γάλως, à nobis dici poteſt *Glos*, frater meus, *Levir* eſt uxori meæ. Vid. Rhodig. cap. 24. lib. 18.

INCILE, inquit Ulpianus l. 1. de rivis, locus eſt depreſſus ad latus fluminis. Ex eo dictus, quòd incidatur. Inciditur enim lapis vel terra, unde primū aqua ex flūine agi poſſit. *Foſſæ* ſunt, per quas aquæ pluviales deducuntur ex latis. Ein kleines Waſſergräblein/ dadurch man das Waſſer aus einem Fluß leitet auf eine Wieſe oder Acker.

INDICTIO pro munere ſeu onere, quod patrimoniis indicitur, annuâque penſitatione, quæ pro poſſeſſionibus præſtatur. Briſſon.

Indictio etiam ſpatium eſt 15. annorum in ſeſe & in orbem revolutorum, quâ partitione tempora computari Conſtantinus inſtituit, ait Briſſon.

Indictio der Römer Zinszahl/ eſt ſyſte-

ma XV. annorum: quibus evolutis emeriti milites honestâ missione & capitationis immunitate impetratâ, soluti militiâ abire poterant. Dicta est *Indictio*, quód quindecim annorum stipendia per XV indictiones annonæ militibus erogandæ numerarentur. Micræl.

Indictionis notâ principio sola militaria stipendia consignabantur, postea verò eadem etiam in tabulis censualibus adhiberi cœpit. Ibid.

INCERARE antiquitus erat, in tabellis cerâ obductis vota sua & preces consignare, atque ita Deorum statuis, ne quid illorum memoriâ excideret, affigere. Juven. Sat. 10.

Ergò supervacua hæc aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas est, genua incerare Deorum.

INCESTUS vid. *Adulterium*

INCUBARE vide *Delubrum.*

INDIGITES vid. *Dii.*

INDOLES Græcè φύσις est in pueris & adolescentibus significatio quædam futuræ probitatis: In viris autem signum præsentis virtutis, unde & pro præstantiâ & generositate animi sumitur, & transfertur

etiam ad irrationabilia & inanimata, puta, fruges, semina, agros. In hominibus est spes virtutis futuræ, quam ex vultu colligimus. Ab *in* & *oleo*, quod significat nascor sive cresco. Siquidem crescendo eadem se ostendit. Beyerl.

INDUCIÆ sunt pacta quædam certi temporis, quo à pugnâ & hostilibus negotiis utrimque in bello supersedetur. Inde dictas L. Beyerlink existimat, quòd ad pacem & tranquillitatem inducantur, qui paulo antè armis diffidebant, & concertabant: unde sunt velut feriæ Martis. Transfertur vocabulum etiam ad judicia, ubi induciæ quandoque indulgentur.

Induciæ (inquit Donatus ad Ter. Eunuch. act. 1. Scen. 1.) sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur, vel quod in dies otium præbeant.

INGENIUM est vis ingenita, facultates homini proprias in animo complectens: & comprehendit in se facultatem cognoscendi & cognita conservandi, nempe εὐμάθειαν, facilitatem discendi; ἀγχίνοιαν, subtilem mentis inventionem; δύναμιν κριτικὴν, dexteritatem judicandi & judicium; μνή-

μνήμην, memoriam; σύνεσιν, perſpicientiam veri in practicis. Huartus in ſcrutinio ingeniorum tria facit ingenuorum genera, nempè 1. *mnemonica*. 2. *phantaſtica*. 3. *intellectiva*. Micræl. Quinetiam nomen hoc ad ea quoque, quæ animâ & ſenſu carent

INFERIÆ communiter vocabantur ſacrificia, quæ pro Manibus fiebant. Sæpè holocauſta erant. Virgilius lib. 11.

Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigerosque ſues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

De inferiis partes aliquas ſervatas, vinum potiſſimùm & carnes aſſas inferebant ſepulchris ipſis, odore & nidore ſolicituri manes, ut vellent apparere & reſponſa dare. Credebant animas vagari per ſepulchra, Veteris comitis, quo per fati vim ſpoliatæ eſſent, amore perculſæ.

Eis etiam, quos morte violentâ periſſe fama erat, inferias dabant; ut anima fieret corpori obnoxia, quod hactenus oderat illa, velut per vim expulſa inde adeoque vaga eſſe & ſedibus incertis oberrare volens potiùs, quàm corpori ſuo adeſſe præſens. Virgil. lib. 3. Æneid.

Inferimus tepido spumantia cymbia lactè
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus & magnâ supremum voce ciemus.

Tepido i. e. recens mulcto. Constat hinc, quód lac & sanguinem de victimis elicitum junxerint cum vino inferio. Et libr. 9. Æneid.

Sit, qui me raptum pugnâ, pretioque redemtum
Mandet humo: solita aut si qua id fortuna vetabit,
absenti ferat inferias decoretque sepulchro.

Inferias solvebant Diti, ut ante rogum funderent sanguinem. Non tamen in omnium exsequiis, sed tantúm in Magnatum & virorum fortium funere. Et tunc captivos ibi jugulabant. Virgil. lib. 10. Æn.

Quatuor hinc juvenes totidem quos educet Ufens,
Viventes rapit inferias, quos immolet umbris
Captivoque rogi perfundit sanguine flammas.

Et lib. 11. Æneid.

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammâ.

Servius: *Sanè mos erat in sepulchris virorum fortium*

fortium captivos necari, quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis cineribus, bustuarii *appellati sunt.* Commentar. ad lib. 10. Æn.

Gladiatores, qui se mutuò conciderent, & sanguine placarent Manes, primi Junius & Marcus Brutus instituerunt, in memoriam patris defuncti, qui prælio adversus Tarquinios pro urbis libertate occubuerat, ùt referunt Livii Epitome lib. 16. Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. dist. 7. Kipping. A. R. lib. 4. cap. 6. pag. 674. seqq.

Qui attentè Poetas Græcos legerit, Sophoclem, Euripidem, Homerum, aliosque; Latinos item, Virgilium, Statium, Silium, & alios; is inveniet, sex præcipuas res contineri nomine *inferiarum*, videlicet, *Aquam, Mel, Lac, Vinum, Sanguinem, Comas.* Illustris est locus Euripidis, qui habetur in Orest. ubi Helena ita ad Electram:

Accipe inferias has in manibus, & comas meas
Pergensque ad sepulcrum Clytæmnestræ,
Demitte ibi mel cum lacte mistum, & vini spumam.
Et stans in summo tumulo dices ista
Helena soror donat te his inferiis.

Sanguinem, quem hic omisit, habes in Iphigen. in Taur. ubi Iphigenia ipsa:

Cui (id est, fratri Oresti) has
Inferias paro, poculumque
Mortuorum,
Ut in terræ dorsum effundam,
Fontes (sanguinis) ex montanis vitulis,
Bacchi vineam libationem,
Et flavarum labores apum.
Hæc sunt, quæ mortuos placant.

Plura Joan. Ludov. de la Cerda Not. in Virgil. Æneid. 9. pag. 311.

INGENUI dicebantur antiquitus, qui patrem ciere possent, hoc est ex legitimo matrimonio suscepti, qui iidem & patritii dicebantur. Hot.

Ingenui & *Gentiles* iidem non sunt, quia capite diminutus manet ingenuus, quanquam gentem suam amittat, & novam assumat. Sed ingenuitas ornamenta sua habet a natura solamque libertatem respicit, quã ab avis ducit. Connanus lib. 2. c. 12. n. 6. inquit: *Usus tandem obtinuit, ut is* ingenuus *dicatur, qui, statim ut natus est, liber est, sive ex duobus ingenuis editus est, sive ex libertinis duobus, vel ex altero libertino, & altero ingenuo.*

IN-

INGRATUS est, & qui non meminit accepti beneficii, & gratiam ullam non habet. Seneca, INGRATUS, inquit, *est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit,* ingratus *est, qui dissimulat* : ingratus, *qui non reddit* : ingratissimus *omnium, qui oblitus est.*

INLICIUM, cum populus per accensos vocabatur. Dicitur & *Illicium. Illicium vocare*, antiqui dicebant, ad concionem vocare. Calvin.

INNUBERE est in mariti domũ transire.

ENUBERE è patris domo exire.

INOPS dicitur is, qui solus est, qui nec amicos, nec propinquos habet, quorum ope, id est, auxilio, tutari se possit. Cicero inopiam & solitudinem ferè in ea um re dicit. Calvin.

INQUILINUS dicitur, qui in urbe domum alienam mercede incolit. Ein Hausman / der ium ein Zinß in eines andern Hause sitzet.

COLONUS autem is est, qui rori prædium alienum incolit. Hot. Vid. *Colonia.*

Inquilinus est, qui gratis vel precio habitat in alieno privato, propriè tamen qui solus habitat, & totam domum occupat. Nam si cum domino aut eo, qui domus usum habet, non tam inquilinus, quàm hospes dicendus est, etiamsi mercede habitet. Connan.

ISELASTICA athletarum certamina intelligunt Græci, Latiniqúe, ubi suas ineunt civitates, qui vicerunt, magnâ pompâ & prope triumphali. Hinc in quadam epistolâ Trajanus, *Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere debere, quum quis civitatem suam ipse εἰσελάσειν*. Cæl. Rhodig. Lect. antiq. lib. 13. cap. 30.

INSIDIATOR propriè dicitur, qui vias insidet, ut ex improviso securum opprimat viatorem. Generaliter tamen accipimus eum, qui vitæ nostræ periculũ intentat. Bald. ad l. Aquil.

INSIGNIA Majestatis Imperatoriæ *& Regiæ*, quæ in inauguratione adhibebantur, & postmodum ab Imperatoribus & Regibus usurpabantur, & ex parte nunc quoque in usu sunt, talia enumerantur: *Diadema, Crux, Annulus aureus, Fasces, Hasta*, *Vestis*

Vestis purpurea, Trabea, Cidaris, Campagus, Sceptrum, Scutum, Tiara & Prælatio ignis.

Diadema erat fascia candida, quæ capiti Regis vel Reginæ circumligabatur. Olim Imperatoribus Romanis quoque usitata. Vide superius. Hodie Diadematis loco Corona Regibus & Imperatoribus imponitur, quæ Diadematis nomē quoq; sortitur

Crux imperii etiamnum signum est, de quâ Hieron. : *Regum purpuras & ardentes Diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.*

Annulus aureus, signum erat traditæ potestatis. Ita Alexander Hephestioni porrectione annuli potestatem concessit.

Fasces virgarum, in Republ. Romana inter præcipua Majestatis insignia erant. Eas cum securi lictores Romulo, & dein Consulibus præferebant. His enim instrumentis autoritate & jussu magistratus coërcebantur delinquentes. Fascibus affines *virgæ laureatæ*, quibus à privatis dignoscebantur Principes.

Hasta olim Regibus, teste Justino, pro Diademate & sceptro erat.

Purpurea vestis, rubicundo colore sangui-

nis imperium & necis inferendæ potestatem notabat. Unde nemini olim licuit purpuram gestare, nisi soli Principi. Et qui Imperatores salutabant, dicebantur *sacram purpuram adorare.*

Trabea vestis erat togata purpurâ circũdata, quæ aureis nectebatur fibulis.

Cidaris, insigne capitis regium erat apud Persas, quod cærulea fascia albâ distincta circuibat.

Campagus, calceamenti erat genus solis usitatum Principibus.

Sceptrum, omnibus Regibus usitatum insigne: cujus variæ apud varias gentes olim figuræ erant.

Tiara, capitis ornamentum Regium fuit, Persis usitatum, quo pro Diademate vel Coronâ utebantur.

Ignis prælatio Romanis quoque usitata, à Persis originem traxit. Illi primi Regibus suis ignem prætulerunt. Fr. Wendelin. Instit. Polit. lib. 2. cap. 5.

Insignia gentilitatis, arma sunt militiæ: quæ ipsa primum, ut simile est veri, virtutis præmia fuerunt, ac rerum præclarè gestarum decora, ut sentit Bald. in l. de poster.

Morituri prius Insignia & Ornamenta sua deponebant, ne cum his, & in his morerentur. Ex Æschylo, Euripide, Statio Guilielm. Canterus lib. 3. cap. 9.

INSOLATIO. Veteres inter quotidiana præsidia valetudinis quoque habebant, sedere in Sole, jacere, testante Plinio. lib. 6. Epist. 1, lib. 3. Epist. 5. aut ambulare nudos ut Spurinna; de quo lib. 3. epist. 1. Græcis hoc exercitationis genus ἡλιοῦσθαι & ἡλιοκαΐα dicebatur: Latinis *Insolatio.* Nam *insolare* apud Columellam est, in Sole ponere: Et *Insolatio*, siccatio in Sole apud Plin. lib. 21. Nat. Hist. cap. 14. Ac alii quidem uncti urebantur Sole, alii sine unctione. Quod *Solem assum* Cicero; ἥλιον καθαρὸν Plato appellat: alterum *Solem unctum* dixit, ut præclare Casaubonus ad Persium observat. Huic curæ inservierunt opinor, *Solaria* etiam, sive *Heliocamini*, ut Plinius lib. 2. Epist. 17. vocat, quos in ædibus habebant, quorum apud Suet. Plautū & Ulpianum l. 17. ff. de Servitutibus urbanorum prædiorum mentio fit. Post Solem igitur in cellam frigidariam descendit Plinius, & frigidā ibi perfusus est. Spurinna post Solem exercebatur pila, deinde lavabatur. Plinius

Plinius de se lib. 9. Epist. 36. *Ambulo, ungor, exerceor, lavor.* Vid. Notas A. Buchn. in Plin. Epist. 15. lib. 6.

INSTITOR est qui tabernæ locòve ad emendum vendendumve præponitur: quique sine loco ad eundem actum præponitur. l. 18. ff. de institoria. Appellatus ex eo, quod negotio gerendo instet.

Institor & procurator hoc differunt, quod is, qui quæstuariæ negotiationi præfectus est, *institor* dicitur: qui verò negotio cuipiam non quæstuario præficitur, *Procurator* potius appellatur. Hot.

INSTITUTIO. Apud Athenienses, & Græcos ferè omnes in more positum fuit, ut liberos, si domesticæ facultates permitterent, tribus præsertim exercitationum, seu ludorum generibus instruendos curarent; *literis* nimirùm, quo iis formati, vitæ genere politiores, honestioresque, & ad Rempublicam capessendam aptiores evaderent: tum *Musicâ*, ut graviora studia honesta voluptate lenirent, & denique *palæstrâ*, ne delicatior cultus corpora molliret, enervaretque: Sed firmandis viribus, augendoque robori potius operam darent.

Ita-

Itaque Terentianus Parmeno eunuchum Thaidi traditurus, uti juſſus erat, tanquam patricium, & iis omnibus, quæ ingenuo adoleſcenti, liberaliterq́ue educato convenire exiſtimabat, ſinſtructum ornatumq́ue commendat his verſibus:

- Fac periculum in litteris,
Fac in palæſtrâ, in Muſicâ. Quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.

Sic Herculem puerum inſtitutum Theocritus memorat. Bernard. Martin. lib. variar. 2. cap. 15.

Ægyptiorum mores fuiſſe conſtat, anteaquam pollutionum contage contaminarentur, & à priſtinâ caderent diſciplinâ, primariã apud eos nobilitatem, dignationemq́ue eorum fuiſſe, qui literas callerent, cum literis non niſi locupletes operam darent. Nam & Athenienſes morem hunc ab Ægyptiis acceptum aliquandiu ſervavere, ut is primas in Republicâ partes obtineret, qui & eruditione & ſapientia maximè præſtaret. Pier. Hierogl. lib. 38. cap. 1.

Pueri ingenui & liberi alliorum caulibus & ceparum cædebantur olim. Interpres Ariſtophanis in Ranis.

Ex Lycurgi legibus Lacedæmones à pueritiâ assuescebant, ut vitæ duritate utiles publicis rebus redderentur. Alex. ab. A.

Fuit magnis Principibus familiare admodũ, filiis suis addidisse statim sapientes monitores. Sic enim apud Valerium Flaccum Chiron Achilli additur

- *monitus qui tradat ut acres*
Magnorumq; illum qui laudibus urat avorũ.

De quo more etiam ipse Plautus testatur Mostellaria: *Ad Legionem cum itant, adminiculum ei dant cognatum suum.* Et Pallanta filium Evander ita Æneæ commendat apud Virgilium 8. Æneid.

Hunc tibi præterea, spes & solatia nostri
Pallanta adjungam, sub te tolerare Magistro
Militiã & grave Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Eleganter enim Seneca: *Ut qui in Sole ambulant, quanquam in hoc non ambulant, colorari tamen eos necesse est; ita qui prudentum consuetudine delectatur, eâque utitur, non potest non etiam prudentiâ imbui.* Idque pluribus exornat Piccarius decad. I. observ. Historicopol. cap. 5. Vid. Henr. Salmuth in Paniroll. P. 1. tit. 48.

IN;

INSULÆ nomen, quòd *in salo* sint, acceperunt, non quòd in *salo* natent, quia radicibus suis, ut ita loquar, cũ globo terreno cohærent, sed quod hinc inde quasi per mare dispersæ videantur. Deinde metaphoricè *Insulæ* vocatæ sunt οἰκίαι περιάμφοδοι, *ædes potentiorum*, quæ à privatorum domibus distinctæ erant, ut ab incendiis essent tutiores. Ita usus Cicero pro Cœlio, Vitruvius lib. 1. cap. 6. Suetonius in Nerone &c. De hac notione Festus ita: *Insulæ dictæ propriè, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur: A similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, suntque in salo positæ.* Quo in loco meritò Festus ait; *Propriè insulas dici, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis*; quia & impropriè ac laxiori significatione quælibet domus sic vocabantur, ut Senecæ, Ulpiani, Martialis, aliisq; locis probat Laurentius Ramirez, ad epigr. 1. Martial. lib. de Amphith.

Insularius hinc dictus servus, qui *insulas* h. e. ædes *separatas*, vel alias quascunq; custodit. Sic usus Pomponius l. 16. §. 1. de usu & hab. Ulp. l. ult. ff. de off. præf. vig. Voss.

IN-

INTERCALATIO Chronologis est insertio temporis minoris in majus ad ejus rectificationem. Sic in Calendario nostro quarto quoque anno mense Februario inseritur dies, ob sex horas, quibus annus major est, quam 365 dies, & ita quatuor annis sex illæ horæ superstites in diem colliguntur, & *annus* tunc dicitur *intercalaris* & *bissextilis*, ein Schaltjahr.

Intercalatio epactorum est, cum anno inseritur decimus tertius mensis, & tunc dicitur *annus embolimæus*: item *intercalatio epagomenon*, cum in explendis annorum spatiis deficientibus dies epagomenæ in finem ultimi mensis conjiciuntur, ut apud Judæos. Micræl.

INTERCESSIO 1. est precatio pro alio, ejusque utilitatibus. 2. est, cum quis vetat fieri, quæ alius constituit. Sic tribuni plebis intercessione suâ, voce illâ editâ: VETO: Leges, Senatus consulta, Prætorumque edicta impediebant. Micræl.

INTERDICERE Aqua & igni vid. *Aquâ & Igni interdicere.*

INTERPRES appellatur is, cujus ministerio ad alienam & extraneam linguam

linguam utimur. *Interpres* etiam is est, qui inter aliquos vel conditionis, vel amicitiæ, vel assessuræ, vel cujus alterius hujusmodi proxeneta est, cujus præmium ἑρμηνευτικὸν Græci appellant, quasi *æs interpretitium* & *pararium* dicas l. 3. ff. de proxenet. Pratej.

Apud Romanos *Interpretes* comitabantur Legatos & Oratores Reipub. nomine apud exteros agentes, ut linguâ notâ conferrent, mandatisque eo felicius defungerentur.

INTERREGES initio dicebantur centum Patres, qui mortuo Romulo, donec alius Rex crearetur, Rempublicam gubernabant, quisque duntaxat quinque diebus per ordinem. Verùm postea interreges creandi hæc fuit ratio: Cùm Reipublicæ causâ abessent Consules, nec habendis comitiis interesse possent: Sive, si quando Consules vitio creati essent, nec placuisset, aut non expedivisset comitiorum, duntaxat gratia Dictatorum dici: Item, si graves discordiæ incidissent, tunc res ad interregem deducebatur, qui consularia comitia, haberet, teste Fenestellâ. Ol-

dend. Vide & Petronium lib. 3. de Magistr. Rom.

INTERREGNUM appellatur id tempus, quo regnum vacat, hoc est, antequam in demortui locum novus Rex præficiatur. Hinc *inire interregnum*, Regis demortui vice fungi: & *Interrex*, qui Regis demortui locum tenet, donec alius substituatur, cujusmodi vacante imperio apud nos sunt ex Electoribus Comes Palatinus ad Rhenum ac Saxoniæ Dux, Constitutione divi Caroli IV. Spieg.

INTERCISI dies erant, quasi Diis & hominibus communes. Nam quibusdam horis fas erat jus dicere, quibusdam verò nefas erat. Spieg.

INTERIRE plus est, quàm

PERIRE. Siquidem qui *perit*, corpore tantùm: Qui verò *interit*, tam animo, quàm corpore extinguitur: quod perspicuè demonstrat Plautinus ille versiculus: *Qui per virtutem perit, non interit*. Not. Var. in Terent. Andr. act. 2. sc. 2.

INVESTITURA est, quâ quis solennibus ceremoniis introducitur ad feudum, vel etiam in aliud officium. Micr.

IPHYTI

IPHYTI Æra est ipsa æra Olympiadum, basis historiæ Græcorum: Et incipit XXIV. annis ante Urbem conditam, nempe Anno Mundi 3174. Micræl.

IRENARCHA; qui ad tollendas discordias & parandos civium animos præficitur. Micræl.

ISTHMICI Ludi à Sisypho institutos tradit Plinius, in cultum Melicertæ pueri à delphino in Isthmo expositi, & à Sisypho sepulti, araque in ejus memoriam excitata. Theseum tamen plerique Isthmiorum auctorem prodiderunt, Neptuno, vel Melicertæ, vel Palæmoni sacrorum.

Fuêre porrò quatuor sacra certamina, Græcis celebrâta, quæ tetrasticho comprehendit Archias l. Anthol.

Quatuor in Græcis certamina. Quatuor illa,
Sacra duo superis, sunt duo sacra viris.
Sunt Jovis hæc, Phœbique, Palæmonis, Archemorique.
Præmia sunt oleæ, pinea, mala, apium.

Utebantur ludis quinque, unde *Pentathlum* Latinis *Quinquertium*; & pentathli *quinquertiones.* Certabant *saltu, cursu, disco, jaculo,* & *luctâ.* Una etiam verbo περίοδος vocabatur

batur: quique Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicisset, *periodon* vicisse dicebatur. Rader. in Q. Curt. lib. 4. cap. 5.

Sunt apud Græcos, qui octo statuant certamina: *Stadium*, *Diaulum*, *Dolichum*, *Hoplitem*, *Pygmen* i. e. *Pugilatum*, *Pancratium*, *palen* & *Halma* i. e. *saltum*. De singulis suo loco.

JUDICIUM. Scribit Cicero pro Cæcinnâ: *Omnia Judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt. Illa vocamus judicia privata, hæc publica.*

Privata judicia ampla nimis & diffusa, breviter commemorari non possunt, adeoque legantur apud Carolum Sigon. libris prolixis de judiciis Rom. cap. 30. 31.

Publica sunt de criminibus illis, in quæ supplicium irrogabatur.

Apud Veteres receptum fuit, ut cùm æqualis esset numerus Judicum, qui condemnarent, & qui absolverent, absolutio valeret. Docet hoc Plutarch. in Mario, & Cicero pro Cluent. Muret. in 1. Tuscul.

Athenienses ut innumeros in re judiciariâ ritus, tum illum non postremum habue-

buerunt, quo ante Judicum consessum porcellum mactari jubebant, tanquam expiatoriam victimam; mox rore sanguineo sedilia leniter respergi veteri consuetudine receptum erat. An idcirco sanguini insidebant, ut memores essent, se de vitâ & sanguine hominis cernere, quem si injustè profunderent, scirent se ita respersum iri hoc cruore, ut subsellia, in quibus sedebant porcelli sanguine. Nic. Causs. Parab. Hist. lib. 5. cap. 20. ex Sigon.

Antiquis temporibus ita pingebantur Judices, ut nudum suum Regem intuerentur. Quâ re duo significabant: 1. ut scirent alium quendam esse superiorem, à quo ipsi Judices facti essent. 2. Ut in sententiis ferendis ejus justâ voluntatē, omnique perturbatione nudum animum semper intuerentur. Serar. in lib. Jud. p. 54.

Senatorum in Curiâ fuit hic mos, cavere ne homini obnoxio assiderent. Cicero in Catilin. 1. 7. *Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? Quid quod omnes Consulares, qui tibi sæpè ad cædem constituti fuerant, simulatque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt?* Vid. Suet.

Tranquill. Commentar. in J. Cæſ. cap. 14.

Mos erat Athenienſis populi, ut Rei convicti capitalis facinoris primùm condemnarentur, nullo expreſſo ſupplicio: deinde ipſi interrogarentur, quid ſe meritos putent? Illi autem (quo magis miſerabiles apparerent) in majus ſuam pœnam æſtimare ſolebent: atque ita nonraro mollitis Judicibus caput ſalvum auferebant. Quod quia non factum eſt à Socrate: nec pœnâ, ſed præmio tali ſe dignum æſtimante, ut publicitùs in Prytaneo aleretur: exacerbati Judices ob contumax reſponſum virum innocentiſſimum ad cicutam condemnarunt. Meminit hujus rei Plato in Critone, Xenophon in Apologia Socratis & Diogenes Laërtius in vitis Philoſophor.

JUGERUM dictum, quod uno boum jugo per diem exarari poteſt. Spieg.

Jugerum eſt campi menſura, quam ducentis pedibus Mathematici definiunt. Quintilianus libr. 1. cap. 18 ducentis quadraginta pedibus in longitudinem, dimidii in latitudinem jugerum deſcribit.

JUGUM. Mos uſitatus in Rom. militiâ, quoties hoſtes ipſi traditis armis dedi-

deditionem facerent, eos sub jugum mittere. Hoc autem quomodo fieret, declarat Festus: *Jugum, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: Fixis duabus hastis super eas ligabatur tertia; sub iis victos discinctos transire cogebant.* Et posteà: *Sub jugum mitti dicuntur hostes victi, ereptis omnibus armis; telisque eum hastis defixis duabus in terrâ, tertiaque ad summum earum deligata, ipsi eam jubentur transire.* Eleganter etiam de eo Dion. Hal. lib. 3. *Est autem Romanis mos, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transversum superimponere, captivosque sub ista tigna ductos transmittere, atque liberos ad sua demittere. Hoc ipsi jugum vocant.* Not. in Gell. l. 17. c. 21.

JUS. Locus, in quo jus dictum est, fuit duplex: aut *superior*, aut *planus*. Superior fuit tribunal in Comitio, atque in tribunali Sella Curulis. Planus, quicunque locus præter tribunal, positâ sellâ curuli, isque locus tum dicebatur *Jus*. Sic enim Ulpianus: *Jus*, inquit, *non is solum locus est, ubi jurisdicundi, judicandive gratiâ Magistratus populi Rom. consistit: sed etiam, si domi vel in itinere hoc agat.* Et Paul. JCtus: *Jus*

Jus est locus, ubicunque Prætor salvâ majestate imperii sui, salvoque more majorum jus dicere constituit. Rosin. A. R. lib. 9. cap. 7.

Jus & *Lex* sæpè pro synonymis usurpantur, quanquam *juris* nomen generalius est & ad non scripta etiam pertinet. *Lex* ad jus scriptum tantùm refertur.

Juris Romani origo hæc fuit: primùm latæ sunt à Regibus leges, quas cùm collegerit Papirius, vocantur jus Papirianum. Regias leges subsecutæ sunt Leges XII. tabularum per Decemviros à Græcis civitatibus petitæ & in duodecim tabulas relatæ. Accedebant *Legis actiones*, quæ erant formulæ omnium actionum à prudentibus præscriptæ, quas in formam redactas Cn. Flavius evulgavit, ob quod vocantur *Jus Flavianum*. Auctâ civitate cùm deessent quædam agendi genera, Sextus Ælius alias actiones adjecit, quod appellatur *Jus Ælianum*.

JUSJURANDUM. Jurantes apud priscos massam ferri sumebant & firma fore pacta conventa affirmabant, dum ea massa appareret, quam in profundum abjiciebant. Plut. in Arist. Horatius pro

ferro

ferro saxum reposuit Ep. 16.

Sed juremus in hæc: simul imis saxa renârint
Vadis levata, ne redire sit nefas.

Jugulatum etiam verrem à jurantibus & in mare projectum patet ex Homer. Il. 15.

Milites in nomen Imperatoris solenniter jurantes ex more gladios cervicibus admovebant.

Tangebant aras jurantes. Plaut. Rud.
G. *Tange aram hanc Veneris.* L. *Tango.*
G. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*
Cicero pro Flacco. *Is si tangens aram juraret, crederet tamen.* Virgil. Æneid. 12.
Tango aras, mediosque ignes & numina testor.
Æmilius Probus in Annibale: *Simulque ad aram adduxit, apud quam sacrificare constituerat: eamque cæteris remotis tenentem jurare jussit, nunquam sibi amicitiam cum Romanis fore.* Juvenal. sat. 14.
Falsus erit testis, vendet perjuria summa,
Exigua Cereris tangens aramque pedemque.
Justin. lib. 24. *Quo perducto in sanctissimum Jovis templum, veterrimæ Macedonum religionis, Ptolomæus sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulachra, & pulvinaria Deorum, inauditis ultimisque execrationibus adjura-*

rat, se sincerâ fide matrimonium sororis petere.

Solebant Veteres jurare per ea, quæ habebant charissima, & rogare per eadem. Horatius lib. 1. Epist. 7.

Quod tu per Genium, dextramque, Deosq; penates obsecro.

Dextra autem *Fidei* consecratur; ut auris *Memoriæ*, frons *Genio*, digiti *Minervæ*, genua *Misericordiæ*. Paræus.

Consiliarii sive Senatores Rom. ita jurabant: *Juro per Jovem Olympium & Consiliarium, & per Vestam consultricem, & per Jovem maritalem, & Junonem maritalem, & Minervam providam & Victoriam, & Venerem & Amicitiam & Concordiam, & jus atque fas, & bonam Fortunam, aliosque universos Deos ac Deas, me sententiam velle dicere secundum leges & consulta à civitate approbata, & secundum decreta Romanorum & Leges; quibus nostra Res publ. administratur, in respectu utilitatis patriæ, pro viribus meis non aliter, quàm is fecit, qui Senator fuit laudatiss. patriæ suæ vel Romanæ vel Græcæ civitatis, neque gratiæ, neque odio neque muneribus patiar fervire judicium consultumve meum; neque privato addicam sententiam meam, neque me ulli parti aut nomini adjungam; sed*

sed tantùm communi utilitati aucturus pro viribus Remp. ita ut Dii & boni viri volunt, mihi quidem sanctè jurato benè sit, & Dii atque Dæmones faveant itemque meis omnibus cum amicis tum universo generi & familiæ, in perjurio verò ne deprehendar unquam. Ph. Camerar. Oper. subcisiv. Cent. 1. cap. 34.

JURISCONSULTUS. Jurisconsultorum hæc erat differentia apud Romanos. *Juris studiosi* assidebant. *Candidatorum* opera Principes potissimum in recitandis orationibus utebantur. *Antecessores* sive *Sophistæ* jus publice interpretabantur. Hildebrand.

JUVENALES Ludi à Nerone primùm instituti, cùm barbam deponeret, in quibus ludis quilibet histrioniam faciebat gestu modisque haut virilibus.

K

K. Litera Græca ad Latinos translata exiguum apud eos usum habet, cùm illius effectum & sonum suppleat C. unde & omnia nomina per hanc etiam scribi consvEverunt,

verunt, ut v. g. *Cabala*, *Calendæ*, & similia, quæ proinde in literâ C erunt quærenda, cùm jam apud Grammaticos receptum sit, Latinum C idem valere, quod Græcum K & explodenda sit opinio aliter sentientium.

Græci *Cappa* vocant: apud quos jactatum olim ænigmatis vice: τρία Κάππα κάκιστα, id est, *tria pessima Cappa*, quo trium gentium mores notati sunt, *Cappadocum*, *Cretensium* & *Cilicum*. Item *Duplex Cappa*: quo malum aliquod significabant. Siquidem gemino κ scribuntur κακά. Simili figurâ Plautus, *furem* trium literarum hominem appellavit.

L

LABARUM Vox Græca est, & significat *vexillum militare*, cui appendebat paludamentum ex antennâ, quod candys veteribus appellatur. Præcedebat Imperatorem immediatè & à militibus adorari moris erat. Nonnulli existimant, ita dictum à *labore*, quòd esset velut levamen laborum,

borum; utpote milites quantumcunque fatigati existerent, & in acie laborarent, in vexillum hoc, ceu anchoram quandam, oculos conjiciebant, quòd scirent, Imperatorem ibi præstò esse, à quo omne præsidium & alacritas expectabatur. Alii vocem Persicam censent, à *Labar*, quod est descendere, erat namque signum pensile, & Persarum ac Armenorum usu Regibus præferebatur.

Euseb. L. 1. de vitâ Constantini c. 15. Labarum ita describit; *Sublimis hasta auro circumvestita cornu transversum habebat, effictum in formâ crucis. Supra verò in ipso culmine omnium corona è lapidibus preciosis & auro contexta infigebatur, juxta quam salutaris appellationis symbolum, duæ literæ nomen Christi exprimentes, per primos duntaxat characteres; litera Græcanica* P *scilicet decussata & scissa per medium ipso* X.

Tempore Tertulliani videtur ea vox cognita nondum fuisse. Constat autem Constantinum Imperatorem statim à conversione labarum formasse in signum Crucis. Ita de illo Sozom. lib. 5. hist. Eccles. *Jussit viros eruditos ex auro & lapidibus preciosis in vexillum*

Ægyptium Labyrinthum ſic Mela deſcribit l. 9. *Pſammetichi opus Labyrinthus domos ter mille, & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intus pene innumerabiles vias, multis ambagibus, huc & illuc remeantibus, ſed continuo anfractu, & ſæpè revocatis porticibus ancipites. Quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno & inexplicabili errore perplexus eſt.* Multi quidem de hoc Ægyptio Labyrintho agunt, nemo tamen diligentius Plinio, qui illum *portentiſſimum humani impendii opus* adpellat.

Labyrinthum Creticum ſic exprimit Virgilius lib. 5. Æneid.

Ut quondam Cretâ fertur Labyrinthus in altâ
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, quo ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus; & irremeabilis error.

Ubi Servius, *Labyrinthus locus apud Cretam factus à Dædalo, perplexus parietibus, ubi Minotaurus incluſus eſt, ex Paſiphae & tauro genitus.* Videatur Lexicon univerſale Hofmanni.

LACERNA Vestimentum erat, cujus serus admodum, nec nisi extremis Reipubl. temporibus, proin ignotus ac probrosus etiam ætate Ciceronis, apud Romanos usus, paulatim dein per bella Triumvirorum civilia, qvum toga deponi cœpisset, in ejus locum successit: Prius autem vestimentum militare tantum fuit, quod *chlamys* dicebâtur. Fuit amiculum virile sive pallium laneum, apertum, quod ipsi quandoque togæ, & hac depositâ ferme loco ipsius togæ injiciebatur tunicæ, nectebaturque fibulâ vel in humero, vel ad pectus, nativo ipsius lanæ colore, cum togæ injiciebatur; aut variâ infecturâ. Et quemadmodum Græcanico pallio brevior atque angustior fuit, ita postquam à militiâ in urbanum habitum concessit, laxior ipsâ chlamyde, longiorque confici cœpta est. Sumebatur autem arcendi frigoris, imò & pluviæ, cum nondum pænulæ in urbem receptæ essent, causâ, conficebatque leviter ex crassiore lanâ, colore nullo apud pauperes vel rufo. Plura vid. in Lexic. univers. Hofmann.

LÆNA indumentum fuit apertum,

tum, densum ac villosum, quod tunicæ aut etiam togæ superinduebatur, olimque peculiari ritu à Flaminibus in sacrificiis adhibebatur. Postea promiscuo usu, & cum togâ & sine togâ gestata est. Græcam vocem esse, & à *Chlænâ* Græcor. dictam Plutarch. in Numâ innuit. Præcipuus ejus usus in conviviis fuit, quod scilicet à balneis redeuntes lænam gestarent, atque ideò eâdem fermè veste discumberent, hyemali nempe tempore. Nam æstate lacerna vestis balnearis fuit, sicut syntheses, quæ ex lino ac leviore materiâ erant, eodem tempore, in convivio sumebantur. Vestimenti hanc antiquissimi genus & heroicum fuisse, ex Homero patet Iliad. ω. Nec modò induendi atque amiciendi, sed & insternendi ac incubandi causâ à Græcis sumtas, idem ibidem docet: quemadmodum Romæ cubicularia Gausapina in eundem usum fuêre. Hofm. Vid. Braun. de Vestit. Sacerd. Hebr. lib. I. cap. 9. §. 13.

LALLARE propriè dicitur nutrix næniam canendo puerum in cunis demulcens, eique somnium concilians. Persius igitur Sat. 3. molles quosdam & voluptua-

rios juvenes notans quærit, cur non etiam tenero columbo (olim quippe impenso studio à viris fœminisq; alebantur columbi) aut regum, h. e. nobilium ac divitum pueris similes se faciant, qui delicatius educantur, cibumq; præmansum, seu pappam sibi à matre vel nutrice in os ingeri poscant eidemq; irati, quod facile solent infantes, ejus lallare recusent ac dormire præ morositate nolint. Hæc carptim ex Comment. Casaub. Versus sic habent:

At cur non potius teneroque columbo,
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis & iratus mammæ lallare recusas?

Vid. Scalig. in Auson. Turneb. l. 19. c. 36.

LAMPADOPHORIA. Sacra sic dicta à lampadum gestatione, & in honorem Vulcani, Minervæ & Promethei celebrata, in quibus cursores accensis facibus currebant, currendoq; certabant, & cursu fatigati facem successori tradebant.

Lampadum, sive *facum* certamina, fuisse Athéniensibus tria, videor observasse in libris, tribus dicata festis: quorum sunt nomina, PANATHENÆA, HEPHESTIA, (quorum meminit Herodot) PROMETHEA. Scribit

bit verò Ister, Athenienses primùm faces Vulcano fecisse, ignis primitus reperti ratione, ac mortalibus communicati. De Prometheo id competi amplius, quod observavit Pausanias quoque, esse utique in Academia dicatam illi aram, unde lampada succensam gestantes currendi in urbem initia auspicentur. Certaminis lex est, toto cursu inextinctam servasse facem: siquidem qvum flamma perit primo, & victoriæ spes. Præstò autem secundus est, cui si itidem extinguatur, eo rejecto, subit tertius ac deinceps. Nemini prorsùm victoria relicta, si omnibus lampadum interextincta flamma evanuerit.

Celebrabatur & Corinthi *agon Lampadodromicus*, in quo currerent juvenes cum facibus in Panagyri Minervæ sacra, quam *Hellotiam* vocant, sicuti festa Hellotia, de paludis apud Marathonem nomenclatura, quæ dicitur Græcis ἕλλος: vel quod Pegasum Dea freno compescuerit, quod ἑλεῖν dicunt: aut ab Hellotide puella cum Eurytione, sorore ab Doriensibus Corintho capta, in Palladis templo exusta, unde grassante pestilentia, ex oraculo placatis puel-

gnam. Grex tironum à laniſtâ emtorum in ſcenicas voluptates, *Familia* dicebatur,& laniſtæ ipſi *Patresfamilias*.

LAPIS. Præter vulgarem lapidum uſum in ædificia, munitiones & ſimilia; conſtat olim lapidibus, quos terminos vocabant, agros diſtinctos, eosque corollis ornare, & venerari ſolebant, teſtis Apulej. lib. I. Flor. Arnob. libr. I. cont. Gent.

II. Juraturi per *Jovem lapidem* ex eo genere, quos ſilices dicimus, tenebant dicentes: *Si ſciens fallo, tum me Diespiter ſalvâ arce Urbeque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem:* & cum dicto lapidem abjiciebant. Quin Athenienſes ad ſaxum quoddam jusjurandum præſtabant.

III. Lapidibus Miliaria diſtinguebantur, unde& *lapis* pro miliari accipitur communi phraſi. Et Boëtius vocat *lapides curioſos*, per quos loca certa diſcriminabantur.

IV. Romæ è lapide præcones ſua evulgabant: & ex eodem mancipia venalia proclamabantur. Unde viles homines *de lapide emtos* Cicero appellat. Turneb. lib. 10. c. 3.

V. Erat Ieroſolymæ lapis, qui diceba

tur *lapis errantium*, ad quem se conferebant, qui aliquid perdiderant, vel invenerant. Et hi quidem inventa proclamabant, alii eadem recipiebant.

VI. Athenis duo lapides argento obducti erant, in quibus Rei atq; accusatores omnes insistebant. Unum vocabant *lapidem contumeliæ*, alterum *impudentiæ*. Pausan. in Attic.

VII. Erat *supplicium lapidum* usitatum Judæis contra incestuosos, blasphemos, Sabbathum violantes, maledicos, &c. L. Beyerlinck.

Consuetum fuit Antiquis, Mercurio, quem viarum præsidem credebant, lapides sacros in acervum conjicere: tum ut Deo ὁδηγῷ honorem haberent, tum ut iis, qui idem tererent iter, commonstrarent viam. N. Caussin. Parab. Hist. libr. 2. c. 53.

LAQUEO vitam finire. Id genus mortis apud Romanos veteres turpe habitum est, quod animam i.e. spiritum occlusâ viâ in pectore interire putabant: Itaque in lib. Pontificalibus, ut ait Servius, cautum erat, ut qui laqueo vitam finivisset, insepultus abjiceretur. Spieg.

LARA.

LARARIA Festum Laribus sacrum, quod Decembri peragebatur 6. Calendas Januarii. Macrob. Saturnal. libr. 1. c. 10.

LARARIUM, Sacrarium domesticum, in quo Lares & Dii peculiares adorabantur. His discedentes valedicebant, & revertentes eos salutabant i. e. adorabant. Ter. act. 2. Scen. 1. Phorm.

Deos Penates hinc salutatum domum divertar.

Iis vinum & thus offerebantur, variis etiam florum coronis exornabantur.

Lararia duo veteres Principes domi habuisse proditum est: in altero Deos immortales Diis penatibus progenitos: in altero homines in Deorum collegia cooptatos, quos scilicet merita in cœlum vocaverunt, salutabant. Utrisque thure ac flosculis, sed victimis interdum sacrum faciebant. Ab illis prioribus, & quasi majorum gentium, salutem fortunasque precabantur: ab iis rectam mentem, & virtutis splendorem optabant. Vid. Henr. Salmuth. in Panciroll. part. 1. tit. 46.

LATICLAVII dicti erant apud Romanos, quibus *lati clavi* jus erat, ut Senatores, eorum filii, & quibus id ab Augusto permissum, Equitumque insigniores, qui *Illustres* dicti, horumque filii.

Fuere autem *clavi*, purpuræ segmenta, instar capitum clavorum rotunda, quæ in pectore tunicæ insuebantur, sic ut etiam detrahi & resui possent. Quintilian. lib. 8. Dicebatur etiam *latus clavus* ipsa tunica laticlavia, quæ cingi non solebat, proin clavi purpurei in pectus cadebant. Horat. l. 1.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum.

Hinc Acron: *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum.* Secus in Equitibus, qui cum tunicam cingerent, angusti claves non descendebant in pectus, sed in sinu, quem zona succincta efficiebat, supra ipsam zonam conspiciebantur: donec in Senatum allecti, solvebant tunicas & latiores clavos demittebant, atq; in pectus fluere sinebant. Hinc *latum clavum tribuere & adimere* pro Senatorem facere & Senatu movere, Scriptores usurpant. Et filii Senato-

natorum Illuſtriumque, qui latum clavum cum virili ſumebant togâ, ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, ſi nolebant, aut non poterant, in ampliſſimum ordinem adſcribi, anguſtum clavum reſumebant. Ovid.

Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt,
Majus erat noſtris viribus illud onus.

Depoſuêre latos clavos Senatores in luctu, in equeſtri eo tempore ſolùm, i.e. anguſto clavo apparentes. Sed nec veſtibus modò clavi purpurei latiores inditi, verùm & ſupellectili lectorum ac menſarum, ut ad Lampridium notavit Caſaubonus. Hinc *laticlavia mappa* Petronio: & *lato variata mappa clavo* Martiali: *pura & clavata lintea* Lampridio: *lintea*, item *toralia duos clavos latiſſimos habentia* Ammiano. Vide Octav. Ferrarium de re Veſtiariâ, lib. 3, capp. 12. 13. 14. & 15. Hofman. Vid. inſuper Notas in Plin. Epiſt. lib. 8. epiſt. 23.

LATOMIÆ, loca ſub terrâ lapidibus exſecta; reorum domicilia. Plautus modò Lapidicinas, modò Latomias lapidarias vocat. Hujusmodi carceres olim ex-

tructos fuisse Syracusis à Dionysio tyranno testatur Cic. VII. Verr. *Latomias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis, opus est ingens, magnificum Regum ac tyrannorum, totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique &c.* In has quondam detrusus fuit Poeta Philoxenus, quod schedia ab ipso Dionysio composita contra veritatem, assentatorum more laudare noluisset, cujus tamen carceris pædore & sqvalore labefactari non potuit ejus animus constanter rigidus: nam cum ex Latomiis extracto in lucem, iterum aliæ gerræ & Siculæ nugæ proponerentur laudandæ ab eodem tyranno, indigne ferens exclamavit: πέμψον εἰς τὰς λατομίας. Franc. Pollet. Histor. For. Rom. l. 5. cap. 14.

LATRONES proprie dicuntur stipatores, οἱ σωματοφύλακες qui tutelæ gratiâ dominorum suorũ lateribꝰ assident: seu mercede conducti milites, ut ait Serviꝰ, παρὰ τὸ λατρεύειν, quod servire spe mercedis, & obsequi significat. Nam moris erat, ut hos Imperator & circa se haberet & primos mitteret ad omne discrimen Latrones, ait Varro in lib. de

de ling.Lat.dicti ab latere, qui circum latera erant Regi, atq; ad latera habebant ferrum: quos postea à stipatione stipatores appellarunt,&qui conducebantur. Ea enim merces dicitur Græce λάτρον ἢ βάτρον. Ab eo veteres Poetæ nonnunqvam milites appellant latrones: qvòd item uti milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas. Virgil. 12. Æneid. *Latronem* pro venatore usurpavit his verbis:

- - Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus
Tum demum movet arma Leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros fixumque latronis
Impavidus frangit telum.

At nunc viarū obsessores dicuntur, qvod à latere adoriantur, vel qvod latenter insidientur. Hinc illud Poetæ;

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Vid. Juvenal. Satyr. 10.

Atq; hoc vocabulū ex eorum numero est, quæ ab honestâ origine in invidiâ posteà abierunt: qvo ex genere sunt & tyrannus, & Sophista. Beyerl. Calvin.

LAVACRUM vid. *Balneum.*

LAU-

LAUDARE antiquo verbo juris, citare significat & nominatim appellare & nominare. Hinc

Laudare testem, in Novellis Martiani, provocare testem, ut rei veritatem dicat: Quod inde ductum credit Turneb. adversar. 2. c. 11. quòd quem quis testem nominabat, unà & laudem quoque ejus commemorabat, ne indignus, cujus audiretur testimonium, videretur. Calvin.

LAUTIA, orum: *Lautia* etiam fœminine, munera dicebantur, quæ Romani per quæstores legatis exterarum nationum mittebant. Itaque Lautiæ appellatione, teste Budæo, continetur ea pecunia, quæ in legationes suscipiendas quovis modo consumitur. Sicque usurpavit Livius lib. 35. *Et ædes*, inquit, *libera Attalo ac lautia decreta.* Calvin.

LECTICA, cathedra & sedes, quâ ferebantur divites & potentes, in quâ pulvinar & lectulus stratus erat. Græcè ἑξαφόρον, quòd à sex servis portaretur: Hodie nobis dicitur ein Senfft/ quâ valetudinarii non quidem ab hominibus, sed binis equis commodiùs vehuntur. Hinc

Lecti-

Lecticarii servi, qui lecticam gestabant & portabant, eam humeris subeuntes. Calvin.

Ita moris fuit, ut qui sella aut in lectica veherentur, non principes solùm, sed & alii, turbam comitum τῷ φορείῳ παρεπομένων, ut loquitur Lucianus, haberent.

LECTISTERNIUM ritus supplicandi Diis Romæ frequentissimus, cùm videlicet stratis in templo lectis numina sibi propitia rebus gerendis exposcerent, vel averruncandæ pestilentiæ opera quærerent. *Lectisternia*, inquit Servius in 12. Æneid., *dicuntur, ubi in templo homines sedere consueverunt.* Legimus Lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum. Stratis tribus lectis, convivium Deis apponebatur, Jovi, Junoni & Minervæ, Jovis simulachrum in lectulo reponebatur, Juno verò & Minerva in sellis sic appositis epulis, non Dei, sed 7. ipsi epulones celebrabant. Vide de hisce Gyrald. historiæ Deorum Synt. 17. Calvin.

LECTUS. Lecti erant triplices: *Discubitorii*, quibus cibum capientes incumbebant, iidem ab hoc usu *Tricliniares* dicti.

dicti. *Dormitorii*, qui & *Cubiculares*, quos nocturnæ quietis causâ in cubiculis habebant, ût loquitur Cicero libr. 2. de Divinat. *Lucubratorii*, ad quos excogitaturi aliquid se recipiebant. Alius ab his *lectusGenialis*, qui gentili superstitione in nuptiis sternebatur in honorem Genii. Cic. pro Cluent. *Lectum Genialem, quem biennio antè filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo ornari sibi & sterni, expulsa atque exturbata filia jubet.*

Cicero de Orator. lib.3. *Cum dedita operâ quiescentibus aliis in eam exhedram venisset, in quâ Crassus lectulo posito recubuisset: cumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse.* Vid. Plin. Epist. 5.lib.5. Casaub.in Sveton. August.cap.78.

Svetonius August.cap.78. *A cœnâ lucubratoriam se in lectulam recipiebat, ibi, donec residua diurni actus, aut omnia, aut ex maximâ parte, conficeret, ad multam, noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius, cum plurimum, quam septem horas dormiebat.* Ad quem locum plura de hac veterum consvetudine summus Vir Isaacus Casaubonus observavit. Sed quod Spartianus de Ælio Vero prodidit, *Ovidii Amorum libros*

bros in lecto semper habuisse, id non tam ad lucubratorios istos, quàm dormitorios, vel tricliniares etiam, quibus ad mensam discumbebant, lectos referendum existimo. Nam & inter cœnandum legebant Veteres: & noctu cubantes insomniam hac ratione solabantur. A. Buchner. Not. in Epist. Plin. libr. 5. ep. 5.

Lectus adversus quis antiquis esset, primus omnium Jos. Scaliger ad Festum docuit. Matronæ nimirum Romanæ simul ac in mariti manum convenerant, lectum ante januam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur *lectus adversus*. Ascon. Pædianus in Milonianâ: *Deinde omni vi januâ expugnatâ & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quæ ex veteri more in atrio texebantur, diruerunt.* Unde Propertius:

Seu tamen adversum mutârit janua lectum,
Sederit aut nostro cauta noverca toro.

h. e: si alia uxor superinducatur, quæ adversum lectum nostrum mutet, i. e. sibi, non mihi sternat, Unaquæq; n. matrona domi

sibi lectum adversum in atrio sternebat. Quo in lecto fœtæ cubabant dicis causâ. Vide Notas in A. Gell. lib. 16. cap. 9.

Genialis lectus, ait Festus, *qui nuptiis sternitur in honorem Genii, unde & appellatur.* Romanis in usu fuit, ut hunc in posterum semper asservarent, & religiose colerent, tanquam conjugii monumentum, & quasi pignus. Vid. de la Cerda Not. in Æn. 6. Virgil. pag. 455.

LECTOR. Eruditi & opulenti homines inter alia ministeria habebant quoq; qui ipsis cœnantibus, lavantibus aut vigilantibus noctu, aut alio tempore, libros vel aliorum, vel suos legerent, cujusmodi servum Plinius lib. 8. Epist. 1. *Lectorem* abs re appellat. Et lib. 3. Epist. 5. *Super cœnam liber legebatur, annotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronunciasset, revocasse, & repeti coegisse.* Huc pertinet, quod paulo post ibidem subjicit: *Dum distringitur* (in balneo) *tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat.* Svetonius Augusto, cap. 78. *Si interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset; Lectoribus aut fabulatoribus arcessitis, resumebat*

pre-

producebatque ultra primam sæpè lucem. *Anagnostas* Græco vocabulo appellat Cicero lib. 1. ad Att. Epist. 9. & lib. 5. ad Fam. Ep. 9. A. Buchn. in Ep. 1. Plin. lib. 8.

LEGATI, inquit Varro lib. 4. de L. L. dicebantur; qui lecti publicè, quorum operâ consilioque uteretur peregrè Magistratus, quive nuncii Senatus aut populi essent. Et lib. 5. Legati, quod ut publicè mittantur, leguntur. Sic

LEGATIO Legatorum munus.

Eaque aut *publica* erat, aut *votiva*, aut *libera*.

Publica mandabatur publico nomine: *Votiva* & *libera* privatim impetrabatur, aut voti solvendi causâ, aut alio privato nomine.

Legationem veteres, ut rem sacram habuerunt, cui Deum Mercurium præfecerunt: Ideoque Legatos violare, impium habebatur. Verùm legationes liberæ olim dicebantur; quæ ornamenti tantùm causâ ab Senatu impetrabantur: quemadmodum honorarii Magistratus à Principibus honestamenti causâ conceduntur, tituloque tenus obeuntur & geruntur. Hæ

Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,
Et vittâ comtos voluit prætendere ramos.

Quod quidem Hieroglyphicum Servius ad imbecillitatem indicandum institutum putat: nam qui precantur & supplicant, suam arguunt imbecillitatem. Ex lana verò velamentum id accipi solitum, quod oves alieno semper auxilio egeant. Pierius Hieroglyphic. lib. 52. cap. 7.

Legatos in templis Deorum excipi, usitatissimum erat. Itaque templis pro Regiâ utebantur. Firmat hunc morem Val. Flac. lib. 4. Arg. apud quem Medea sic loquitur cum Jasone:

- - Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait: huc adytis jam se de more paternis
Rex feret; hîc proceres audit, populosque precantes.
Alloquiis facilis præsens pater admovet æquis.

Apud Silium lib. 1. non longè à fine, Legati Saguntini audiuntur à Romano Consule in templo. Apud eund. lib. 11. Legati quoque Capuani in templo audiuntur. Hinc etiam illustrabis locum 1. Æn. ubi Dido audit in templo Junonis Trojanos

in Africam appulsos. Item Æn. 7. *ubi in templo Divûm patriâ sede sedens Latinus Teucros ad sese in tecta vocavit*, Cerda in Not. ad h. l. Æn. 7. pag. 37.

LEGATIVUM est viaticum, quod Legati interdum solent accipere, qui ad sacrarium Principis mittuntur. Calvin.

LEGIO, quæ Græcis φάλαγγα, & à *legendo* sive *deligendo* nomen sortitur, teste Varrone lib. 4. de L. L. quòd milites ad legionem viritim eligi soleant; est certus militum numerus, decem cohortes sub se complectens: quomodo cohors decem manipulos, manipulus xxv. aut xxiv. milites continebat. Sic ut legio numeraret millia duodecim & quingentos.

Variæ tamen de numero Legionis fuerunt opiniones. Verbi gratiâ, cum Vegetio Hieronymus conflat legionem 6000. Addunt alii 660. Polybius lib. 6. affirmat, communem constitisse 4000. peditum, & ducentis; equitibus verò 300. In graviore tamen bello fuisse peditum 5000. At sub Romulo non erant in legione plures, quàm 3000. peditum, & 600. equites. Beyerl. Vid. Andr. Tiraq. Annotat. in Genial.

Genialium dier. libr. 1. cap. 5. pag. 13.

LEMBI. Naves piraticæ non unum habuêre nomen aut speciem. Fuêre lembi, lenunculi, celoces, myoparones. Lembus proprie navicula brevis piscatoria est, Marcello auctore; serviunt tamen apud Livium & Polybium belli quoq; usibus. Cyrenenses invenêre. Fulgentius: *Lembi naviculæ genus velocissimæ, quam δρομώδην dicimus.* Rad. in Q. Curt. lib. 4. c. 5.

LEMURIA Festa die 9. Maji celebranda, à Lemuribus placandis dicta: tum omnia Templa claudebantur, & nuptiæ tum celebratæ putabantur infaustæ; unde tritum illud; *Malum Majo mense nubere.*

LENÆA celebrabantur in civitate Athenarum ineunte vere, quo tempore vina de fece eximebantur, tributaque ferebantur ab externis: quod certamen erat bibentium plerumque, Bacchumque lætitiæ autorem canentium, cujusmodi carmina sunt illa Euripidis in Bacchis;

Oblivionem palmitem mali dedit.
Si vina tollas, & Venus statim perit,
Nec dulce quidquam restat hinc mortalibus.

Natal. Com. lib. 5. Myth. cap. 13.

LENIS, est, non qui plane non irascitur, sed qui regit iram, & ita cohibet, ne quid per eam turbide & indecore faciat.

LENTUS est, qui prorsus non irascitur; illud sapientis est, istud stupidi ἀναισθήτου. Hinc illud discrimen inter ἀοργησίαν & ἀναλγησίαν, de quo Taurus Philosophus apud Gellium lib. 1. cap. ult. Ἀοργησία, de qua egregium librum Plutarchus dedit, *lenitas* est; ἀναλγησία *lentitudo*. Cicero 2. Tusculanâ: *Virum denique videri negant, qui irasci nesciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant*. Item lib. 1. Epist. 1. ad Quinctum fratrem: *Illud* (non irasci) *non solùm est gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis &c*. Seneca lib. 1. de Irâ cap. 11. *Quid Scipio? nonne relicto Hannibale, Punico exercitu, omnibusque, quibus irascendum erat, bellum in Africam transtulit, tam lentus, ut opinionem luxuriæ segnitiæque malignis daret*. Not. Buch. in Plin. Epist. 21. lib. 9.

LENONES vid. *Mangones*.

LESSUS. Lessi voce lex decemviralis usa est, teste Cicerone. Quid autem per lessum Decemviri intellexerint, vete-

res interpretes Sextus Ælius, Lucius Ælius, non satis se intelligere dixerunt, inquit Cicero, sed suspicari, vestimenti aliquod genus funebris fuisse. Lælius lessum interpretatur quasi *lugubrem ejulationem*, ut vox ipsa significat. Illudq; eo magis verum Ciceroni videtur, quod lex Solonis id ipsum vetet: Eoq; sensu Plautus lessum videtur accepisse, cùm sic in Truc. scriberet: *Thetis quoque etiam lamentando lessum feci filio.* Quasi dicat Plautus, lamentis gemituq; & fœmineo ululatu, ut utar Poëtæ verbis, filium deflevit Thetis: & tamen suis illa lachrimis, quod factum erat, infectum reddere non potuit. Et sic quidem hunc Plauti locum accipiendum esse evidenter in lib. de anima docet Tertul. autore Ræ“var. in l. 12. Tab, cap. 15. Adde Fran. Balduin. comment. in l.12.tab.cap.31.circa princ..Calvin.

LEX, ut Cic. 1. de leg. & Varro 5. de L.L. testantur, ita dicta, quia *legi* soleat, quo omnibus innotescat. Quare ut à *ducendo dux*; à *regendo Rex*; ita à *legendo lex*. Sunt, quibus à legendo quidem dici placeat, sed quatenus *legere* est *eligere*. Augustinus, sive alius, in Quæst. Novi Testam.

Lex ab electione dicta est, ut è multis, quod eligas, ſumas. Aliqui etiam ſic dici volunt, non quia populo *legeretur*, cum ferretur; quod verum etymon putamus; ſed quia ſcriberetur, *legenda*que proponeretur. Quam cauſam adfert Iſidorus lib. 2. c. 10. & lib. 5. c. 3.

Legem Græci olim, Demoſthene teſte, ſic ferebant ad populum: In primis à Legislatore palam recitabatur. Deinde in loco maxime conſpicuo proſcribebatur ad tertiam concionem uſque. Tum à ſcribâ legebatur, ut quisque, ſi quid non è Rep. exiſtimaret, libere proferret. Poſtremò nomothetis, qui ex Judicibus jurati deligebātur, dari conſuevit, ut eam denuò perpendentes vel exequerentur, vel antiquarent. Oldendorp. Pratej.

Legem Locris fuiſſe Demoſthenes ſcribit, ut ſi quis novam legem laturus eſſet, exponeret eam prius populo, inſerto collo in laqueum, qui, ſi lex diſplicuiſſet, ſtatim conſtrictus auctorem novæ legis ſtrangularet. Old. Prat.

Legem ſcripturus Magiſtratus apud Romanos ſcribebat eam domi, & cum peritis con-

consultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem sanciret: ne forte pugnantia capita simul ferret, neve quid, quod vetus aliqua lex, si ferretur, inane infirmumque juberet esse: (etsi, quæ postea ferretur lex, superiores omnes præter sacratas, abrogaret) ne curationem, potestatem, commodumve aliquod ipse sibi suâ lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis viderentur, una rogatione ferretur: addebaturque illa exceptio, ut si quid jus non esset rogari, nec esset rogatum. Item, si quid contra alias leges ejus legis ergò latum esset, ut ei, qui eam legem rogasset, impune esset. Hotomannus, Calvinus.

Leges XII tab. appellatæ sunt ex accidenti. Nam Decemviri, qui publicâ autoritate petierunt leges à Græcis civitatibus, decem eboreas tabulas perscriptas pro Rostris posuerant, quibus cum aliquid deesse animadvertissent, anno insequenti alias duas Tabulas adjecerunt: unde leges 12 Tabular. nominatæ sunt. l. 2. §. 1. ff. de orig. jur.

Leges aliæ *Regiæ* erant, quæ dicuntur *Jus Papyrianum*, aliæ *XII. Tabularum*, aliæ

diverso tempore ab aliquo Magistratu latæ.

Ex legibus Regiis has annotabimus:

1. *Deorum fabulas ne creduntō.*

2. *Parricidas omnes capite puniunto.*

3. *Adulterii convictam vir & cognati, uti volent, necanto.*

4. *Si vinum biberit, domi, ut adulteram, puniunto.*

5. *Ne quis, præsentibus fœminis, obscœna verba facito.*

6. *Ne quis, nisi per portas, Urbem ingreditor, neve egreditor. Mœnia sacrosancta sunto.*

7. *Qui terminum exarasit, ipsius & boveis sacri sunto.*

8. *Ne quid inauspicato publice gerunto.*

9. *Temetum mulier ne bibito.*

10. *Quod natum erit, parentes tollunto; monstrosos tamen partus se (pro sine) fraude exponi fas esto.*

11. *In liberos suprema Patrum auctoritas esto: venundare, occidere liceto.*

12. *In contractibus fides servator: Fidei Nomen omnes metuunto.*

Leges XII. tabularum, quâ occasione scriptæ sint, diximus in vocibus *Decemviri* & *Lex*. Eas supra omnes omnium Philoso-

phorum

phorum Bibliothecas Cicero extollit lib. 1. de Orat. Harum legum hodie tantùm fragmenta quædam supersunt. Nos nonnullas ex his scitu dignas & intellectu faciles recensebimus.

1. *Ad Divos adeunto castè pietatem adhibento, opes amovento, qui secus faxit, Deus ipse vindex erit.*

2. *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* Imperatores tamen & virgines Vestales, quod legibus non tenerentur, in urbe habebant sepulchra.

3. *Rogum asciâ ne polito.* Ea lex supervacaneos & inutiles sumtus à funeribus removet, dum e rudibus & impolitis lignis rogum vult confici.

4. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergò habento.* Moris olim erat ante rogum humanum effundere sangvinem, vel captivorum, vel gladiatorum, quorum si nulla esset copia, mulieres laniantes genas suum effundebant cruorem, ut Manibus satis fieret. Illud hac lege vetatur.

5. *Ut qui falsum testimonium dixisset, e Saxo Tarpejo dejiceretur.* Saxum Tarpejum miræ erat altitudinis. Lege deinde Cornelia

lia falſorum teſtium pœna fuit deportatio & bonorum omnium publicatio.

6. *Ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret.* Nam, ut ait Menander, νὺξ πολλῶν ἀρχηγός.

7. *Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto.* Homo ſacer eſt, quem à populo judicatum qui occidit, parricidii non damnatur; unde & quiſquis homo ſceleratus ſacer appellari ſolet.

8. *Si in jus vocet, atque eat; ſi vis vocatione fuat, anteſtaminor; ni it aurem capito anteſtati, ſi calvitur pedemve ſtruit, manum endo jacito.* Senſus hic eſt: Si quis civem Romanum in jus vocet, atque i. e. ſtatim eat; ſi in jus vocantem ſequi recuſet, Actor præſentes aliquot cives anteſtetur i. e. teſtes vocet; ſi nondum ſequi velit, aurem capiat anteſtati: mos enim erat in anteſtatione, ut memoriæ cauſâ Actor auriculam imam anteſtati tangeret cum hoc verbo: *Memento.* Si calvitur, id eſt, fruſtratur; pedemve ſtruit, i. e. retrorſum ita ut fugit, manum injiciat.

9. *Glandem ſuam in alienum fundum procidentem colligendi jus eſto vicino.* Glandis adpellatione omnis fructus ſignificatur.

10. Si

10. *Si quis carmen occentassit, quod alter ei flagitium faxit, capital esto.* Sensus est: Si quis convitium alicui faciat carmine aut famoso libello, capitale facinus est & capitis pœnâ luendum.

11. *Ne quis unciario fœnore amplius exerceto.* Fœnus dictum est à fœtu, & quasi à fœturâ pecuniæ parientis & increscentis. *Summa usura*, quæ & *centesima* & *as usurarius* dicitur, est, cùm pars sortis centesima singulis mensibus penditur, i. e. cùm de centum aureis singulis mensibus unus, singulis annis duodecim penduntur. *Usura deunx*, cum singulis annis in centenos undecim penduntur, *dextans* cùm decem, *dodrans*, cum novem, Usura *unciaria*, cum unus penditur.

12. *In funere ne circumpotato.*

13. *Perjurii pœna divina, exitium; humana, dedecus.*

14. *Sanctè vota reddunto.*

15. *Impio ne audeto placare donis iram Deorum.*

16. *Cælibes esse prohibento.*

17. *Salus populi suprema lex esto.*

18. *Domum cum laude redeunto.*

19 *Is*

19. *Is ordo, puta Senatorius, vitio careto, cæteris specimen esto.*

Hæc & plura Cic. l. 2. & 3. de Leg. quanquam non ignoramus, gravissimos esse Auctores, qui eas, quas ex dialogis Ciceronis attulimus leges, ex XII tabulis depromtas esse negant, tamen cum fructu à juventute hic legi posse judicavimus. *Indubitati juris est*, inquit Th. Dempst. l. 8. ad Antiq. Rom. *paucissima hodie legum Decemviralium extare verba, & quæ apud Rhetores Grammaticosque supersunt, & maximè in libris de legibus Ciceronis, non esse verba legum antiquarum, sed tantùm sensum.* Has leges aliæ consecutæ sunt, à variis Magistratibus latæ, ut *Agrariæ* de agris populo dividendis. *Frumentariæ*, *Sumtuariæ* &c. His ab Auctoribus suis indebantur nomina, ut alia *Lex Cornelia*, alia *Julia* &c. diceretur. M. Hildebr.

Veteres, priusquam literas scirent leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent; quod temporibus suis in more Agathyrsis fuisse, Aristoteles scribit. Cæl. Rhod. l. antiq. lib. 9. cap. 8.

LEUCA vid. *Miliare.*

LIBA-

LIBATIO. Libare eſt leviter deguſtare & primis labris attingere. Tanta fuit Antiquorum Religio in Libationibus, ut primitias omnes fructuum, quas ὑπαρχὰς vocabant, ſuis Numinibus libarent & ſacrarent. Erat autem duplex apud Ethnicos Libatio, cum in ſacrificiis, tum in epulis. *Una* dapum & ciborum, quorum partem aliquam decerpentes, illam in ignem focumque conjiciebant, atque ita Diis ſuis conſecrabant dapes: *Altera* potus, cum ſcil. vini, lactis, aliusve liquoris parte aliqua effuſâ ex vaſe in terram vel in aram, certis adhibitis ceremoniis in Dei honorem fiebat, & hoc erat Diis libare. In ſacris vinum non quodvis libatum, ſed meracum: Vinum ſpurcum, cui aqua admixta erat, defrutumve muſtumve, antequam deferveſceret, ſacris adhiberi non poterat. Moris etiam erat, ut ante libationem manus abluerent, cæteraſque preces funderent. Joſ. *Laurent. l.* 2. *Polymath. Diſſertat.* 49.

Solebant Græci & Romani poſt cœnam crateras vini in menſam afferre, & ad multam noctem ſermonem producere. Ex eo

vino

vino aliquid in mensam fundebant. Quem morem tangit Virgilius 1. Æn. ubi de convivio Didonis loquitur, *Dixit, & in mensam laticum libavit honorem*; tanquam si in arâ Diis libaret. Penelope in Epist. *adáitque, ab illis, qui bello Trojano affuerant, uxoribus suis, cæterisque domesticis illo vino, quod digito super mensam duceretur, loca, in quibus cum Trojanis prælium fuerat commissum, ostendi, & universum Ilium, fluvium, & portas urbis depingi.*

Jamque aliquis posita monstrat fera prælia mensâ,
Pingit & exiguo Pergama tota mero; &c.

Tibull. eleg. ult. lib. 1.

Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, & in mensâ pingere castra mero.

In nequitiis quoque, & lusibus amatoriis, solitos hoc vini super mensam defusi digitis diducere, & nescio quas notas depingere, quibus tacitè inter se loquerentur, liquet ex Epist. Helenæ ad Paridem, & 1. ac 2. Amor.

Post cœnam, cum jam cœtus dissolveretur, libabant Antiqui Mercurio, non, ut posteritas, Jovi Telio; quoniam Mercurius

rius somno praeest. Libabant & eidem à cœnâ discessuri, ob linguae commercium. Mercurio namque sacrae linguae sunt ob eloquentiam, & orationis perspicuitatem. Athenæus lib. 1.

Moris hujus, *In mensam libare, videlicet effusâ aliquâ parte vini è patera in mensam*, ratio hæc est; quia veteribus mensa pro arâ fuit, & sacrum quiddam. Inde sicut Diis libabatur, ita & mensæ. Servius apte in hunc locum Virgil. Æn. 8.

Omnes in mensam læti libant.

Apud antiquos inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur. Quo ritu sacrarentur mensæ, attingit Arnobius lib. 2. Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum. Cerda in Not. ad Virgil. Æneid. 8. pag. 193. Vid. & Ph. Camerar. Oper. subcis. Cent. 1. cap. 58.

LIBELLI erant chartæ viliores, quibus olim Eruditi utebantur, quando primum aliquid componebant: ut opus emendatum in chartam meliorem inde transferrent. Epiphanius ejusmodi libellos vocat χεδάρια; chartas autem, quæ o-

pus correctum excipiebant, τελείως. Casaub. in Sueton. Neron. cap. 52.

LIBERTI Sunt, quos Domini ex justâ servitute solverunt ac manumiserunt, unde etiam illorum patroni, quasi patres, qui à morte in vitam illos revocarunt, adpellabantur.

LIBERTINI verò illorum liberi, nimirum post manumissionem nati: Nam antea nati, nisi & ipsi manumittantur, servi manent, nec quod parentes adipiscuntur beneficium ex eo, etiam ipsi habent. Hinc *liberti* sive *libertini* sunt homines liberi, qui ex justâ servitute manumissi sunt.

Libertini ab *Ingenuis* ideò distinguebantur, quòd non eodem uterentur jure. *Libertini* enim agnoscebant patronum, qui operas & alimenta debebant, atque id genus alia, quæ non faciebant *ingenui*.

* *Libertinorum* autem status tripartitus fuit. Erant enim *Libertini Cives Romani, Latini* & *Dedititii*. *Cives Romani*, ut tradit Cajus lib. 1. suar. instit. erant, qui testamento, aut in templo, aut ante Consulem manumitterentur. *Latinos* autem fuisse scribit,

bit, qui aut per epistolam, aut inter amicos aut in convivio libertatem consequebantur. *Dedititios* verò, qui post aliquod facinus admissum suppliciis afficiebantur, publicéq; pro criminibus cædebantur, aut in quorum facie vel corpore aliqua nota vel igne vel ferro ita impressa foret, vel deleri non posset, & postea manumittebantur. Vid. Lexic. Calvini.

LIBITINARII dicti sunt à *libitinâ*, id est, funere, dicta Libitinâ à Venere Libitinâ, quæ Romæ habuit templum, juxta quod vendebantur, quibus erat opus ad funus, puta, unguenta, papyri, cerei, funalia. Sed cur ea juxta Veneris templum, quæ jocorum, voluptatumque Dea est, vendebantur? Plutarchus in Problemat. causam narrat, ut videlicet, *cùm homines libidinibus dant operam, meminerint, se aliquando morituros, &c.* Calvin.

Libitinarius is dicitur, qui quæstui inserviens libitinariam exercet: quique necessaria funeribus vendit: vel qui curâ mortuorum sepeliendorum habet, seu qui rationibus præerat Libitinæ Deæ. Horum servi erant *Pollinctores* & *Vespillones*, ut do-

cet Ulpian. l. 5. §. 8. D. de institoriâ actione.

LIBRA instrumentum est, quo res cum lancibus ponderantur, & alio nomine *Bilancem* vocant. Instrumentum verò, quo res sine lancibus ponderantur, *Statera* dicitur, at *Trutina* propriè foramen est, in quo examen regitur. *Examen* verò dicitur propriè lingua, quâ trutina regitur. Vid. *Statera.*

LIBRARIA vid. *Bibliothecá.*

LIBRARII in castris fuêre [Veget. libr. 2. cap. 7.] qui rationes ad milites pertinentes in libros referebant. Antiquitus enim, inquit Vegetius, institutum est, ut ex donativo, quod milites consequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa, ibidemque militibus servaretur, ne à contubernalibus per luxum absumi posset inaniumque rerum comparationem. Sepositio autem ipsa pecuniæ primùm ipsis contubernalibus docebatur accomodata: nam cum publicâ sustententur annonâ, ex omnibus donativis augetur eorum pro media castrense peculium. Miles deinde, qui sumtus suos scit apud signa suos depositos, de deserendo nihil cogitat: magis diligit signa;

ſigna: pro illis acie fortius dimicat, more humani ingenii, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus ſuam videt eſſe poſitam ſubſtantiam. Denique decem folles per cohortes ſingulas exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam ſaccus undecimus, in quo tota legio particulam aliquam conferebat, ſepulturæ ſcilicet cauſâ. Et ideò Signiferi, non ſolùm fideles, ſed etiam literati homines eligebantur, qui & ſervarent depoſita & ſcirent ſingulis reddere rationem. Calvin.

LIBRI eadem origo eſt, quæ codicis, ab arborum corporibus & interioribus earum corticulis deſumtum utrumq;. Has enim materias prima hominum ætas habuit ad ſcriptionem literarum. Connan. lib. 9. c. 7. n. 1.

LIBURNI olim Romanis, qui privatim quoscunque in judicium vocabant, juſſu Magiſtratuum [quod viliſſimorum hominum officium erat] dicebantur, quòd ferè è Liburniâ eſſent. Calvin.

LIBURNÆ naves bellicæ, Galeeren / ſic dictæ à *Liburnis*, Illyrici populis, quorum naves cum in pugnâ Actiacâ

Antonio cæteris ad navale prælium aptiores essent deprehensæ ad earum similitudinem Romani classem texuerunt, easque naves itidem dixêre *Liburnas*. Fl. Veget. l.5. c.2.& 3. Horat. Od,1. Epod.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula.

M. Fr. Hildebr.

LICTORES erant, qui Consules, Prætores, Dictatorem in publico vel præcedebant vel assequebantur, togâ vel sago rubenti amicti cum fascibus vel securibus. Unus post alium incedebat, ordine satis longo, ut marmora ostendunt, ac patet è Livio lib. 24. Histor. *Pater Fabius occurrens filio Consuli, & equo vectus, lictores undecim prætergressus fuerat, ut non juberetur ex equo descendere, proximus vero, (qui duodecimus erat) ut Consuli debita reverentia præstaretur, ab equo descendere illum jussit.* Certè undecim lictores non potuisset pater præterire, nisi ivissent singuli. Lictor, qui agmen claudebat ordinis ejus, dignior præ cæteris erat.

Pœnas infligebant delinquentibus, virgis cædendo, securi feriendo, strangulando,

Sub-

Submovebant populum de viâ, id vocabant *animadvertere*. Animadvertebant cùm voce, manu, virgâ, locum facerent ponè sequenti Consuli, & cùm jubebant, ut maturè cogitarent de honore exhibendo illi, qui occurrebant, ut caput aperirent, assurgerent & ex equo descenderent, ferrum ponerent, quod monet Seneca ep. 64.

In prætoriâ navi sedebat lictor ante proram, ac præternavigantibus, ut signum de navi deponerent, imperabat, ad venerandum prætoriæ honorem, teste Appiano lib. 5. belli civil. Plura M. Kipping. Ant. Rom. lib. 2. c. 4.

LILIA vid. *Machina.*

LIMES. Limites non unius fuêre generis. *Decumani* ab Oriente in Occidentem. *Cardines* à meridie in Septentrionem. *Prorsi* ab Occidente ad Orientem. *Transversi* à Septentrione ad meridiem. *Actuarius limes*, qui primus positus est, & ab eo quintus quisque, reliqui medii limites linearii appellabantur.

LINEA, architectonica vox, quæ à *lino* deducitur; est regula, funiculus, quem rubricâ aut alio colore oblinunt.

Linea alba, λευκὴ σταθμὴ, dicitur de eo, qui omnia sine discrimine probat. Nam alba linea in albo nil discernit. Ideò fabri fere utuntur rubrica aut minio, aut eo deficiente, carbone. *Linea* pro funiculo passim utitur Vitruvius, sicuti & Plinius, Columella, Palladius. Ex Not. in Præfat. ad A. Gell.

LINGUA à Latino *lingo* rectè oritur, quia est unicum linctus instrumentum. *Lingua* μετωνυμικῶς pro sermone vel loquelâ hominis, ut cujus est præcipuum instrumentum, Becman.

Antiquis mos erat somnum captantibus victimarum linguas adolere Mercurio, propinatisque crateribus vinum superlibare, idque ex antiqua Philosophia: quandoquidem sermo esse Mercurius perhibetur, cujus instrumentum est lingua, quæ quidem somno incidente quiescit tacita. Atque hinc repertum est, eam adolere Mercuriò, quod & Homerus ipse tetigit, γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον *linguas in ponit in ignem*. Vid. Pier. Hieroglyph. lib. 33. cap. 42. Cæl. Rhod. lect. antiq. lib. 13. cap. 5.

LINTER est genus quoddam naviculæ, ac nihil aliud est, quàm cavatum lignum. Hanc rem apertè indicat locus Velleji lib.2. ubi loquens de quopiam barbaro, ita ait: *Cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis: & petiit, liceret sibi sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Cæsarem. Data petenti facultas. Tum appulsa lintre &c.* Ubi quem primum *cavatum alveum*, mox *lintrem* vocat. Cerda in I. Georgic. pag. 229.

LITARE sacrificiorum verbum est, desumtum à Græcis λιτανεύειν. Est verò *litare* ritè sacrificare & impetrare. Nihil enim sacris mancum, nihil monstrosum conveniebat, nam si viscera pallere, tetrisque maculis suffusa apparuissent, si jecur tabidum, si pulmonum fibræ defuissent, non litandum veteres gentium sacerdotes existimarunt. Hinc Martial.

Non quæcunque cadit hostia cæsa litat &c.

LITUUS medium instrumentum fuit inter *tubam* & *cornu*; non rectum prorsus, ut illa; nec totum incurvum, ut istud.

Quamvis Scriptores interdum confundant. A *tubâ* enim sejungit Lucan. lib. 1.

- *Stridor lituûm, clangorque tubarum.*

A *cornu* Seneca, Oedip.

- *Sonuit reflexo classicum cornu,*
Lituusque adunco stridulos cantus elisit aere.

Inde jam cum *tubâ*, jam cum *cornu* jungebatur. De *tubâ* Horat. Od. 1, lib. 1.

- *Et lituo tubae*
permistus sonitus.

De *cornu* Juvenal. Sat. 14.

- *Solvunt tibi cornua ventrem*
Cum lituis audita.

Vid. Cerda Not. in Virg. Æn. 6. pag. 623.

LITUUS, baculus erat incurvus, quem manu apprehendentes Augures describebant coeli spatia, antequam inspicerent, uti annotat Servius in Commentariis pag. 462.

LORA apud Veteres *Laura* dicebantur, à lauro triumphorum: sub quâ mos erat captivos vinciri, duciq; per pompam, ideo autem, ut conditionis reminiscantur, loris caeduntur mancipia. Donat. in Terent. Adelph. Act. 2. Scen. 1.

LORA quid sit & unde dicatur, do-

cet Varro l. i. de R. R. c. 54. Quæ calcatæ uvæ erunt, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cùm desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt, & rursus cùm expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eoq; aqua additur. Ea vocatur *lora*, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hieme. Voss. Etymologic.

LORICA munimentum corporis, quo corpus adversus vim tegimus. Antiquitus ex crudo corio fiebat [unde & nomen illi est à loro] postea ex æreâ aut ferreâ laminâ, plerique tamen militum non loricas habebant, sed partem æris aut ferri procusam, quæ summum pectus tegeret. Fuit assimile quiddam hodierno pectorali, sed minus longum & æquabiliter quadrum: & vocabant *Pectorale*, nonnulli *Corditum*. Hildebr.

Vid. *Machina*. Item *Arma*.

LUCAR

LUCAR. Merces ſcenicorum Latinis *lucar* dicitur, quod à *luco*. Græcis dicitur *κωλεὶρ*, auctore Heſychio. Idem oſtendit mercedem Comicorum proprié *μισθὸν* dictam, & quinque modo fuiſſe, qui mercedem hanc conſequerentur. Nonnulli putant, ſcenicis in diem tribus obolis *lucar* definitum. * Vid. Not. Var. in Terent. Hecyr. Prolog.

LUCARIA à *luco* dicuntur. Feſtus: *Lucaria feſta in luco colebant Romani, qui permagnus inter Salariam & Tiberim fuit: pro eo quòd victi à Gallis fugientes in prælio ibi ſe occultarunt.*

LUCERNA. *Lucernarum accenſio* feſtum erat apud Cares Ægyptios, qui, ubi in Saim urbem ſacrificatum convenerunt, noctu ſub dio univerſi circa mœnia frequentes lucernas accendunt, imbutas ſale & oleo plenas cum multo lychno, quod totâ ardeat nocte. Cui feſto nomen impoſitum eſt, *accenſio lucernarum*. Ad hunc conventum quicunque Ægyptiorum ierint, obſervantes ſacrificii noctem, & ipſi lucernas accendunt: neque id in Sai modo, ſed etiam per univerſam Ægyptum. Her. Hal. Euterp. lib. 2.

LUCTUS. *Luctus publicus* finiebatur in dedicatione ædis, in condendo lustro, cùm votum publicè susceptum solveretur. *Privatim* complura in unum congruebant, quæ omnem familiis luctum abolerent: hoc est, cùm liberi nascerentur: cum novis honoribus familiam honestarent: cùm pater aut filius, aut vir, aut frater ab hoste captus domum redirent; cùm puella desponsaretur; cum propiore cognatione aliquis nasceretur, quàm ille, cujus nomine luctus fuisset. Crinit.lib.19. cap. 12.

Habitus mulierum plangentium & lugentium.

Primum crinem nodo exsolvebant, & cinere aspergebant : tum pectus nudabant, & humeros: & vestem non manu, sed chordâ vel fasciâ aliquâ supra uterum nectebant, ne decideret, ne patefierent, quæ natura occultavit. Sic útero tenus nudæ ejulabant, & unguibus, palmis, pugnis in se ipsas sæviebant. Patent ista ex versibus Senecæ in Troade, ubi Hecuba concaptivas Trojanas sic alloquitur:

Fidæ

Fidæ casus nostri comites,
Solvite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Trojæ
Pulvere turpes, paret exertos
Turba lacertos: veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus. Cui conjugio
Pectora velas captive pudor?
Cingat tunicas palla solutas
Vacet ad crebri verbera planctus
Furibunda manus.

LUCUBRATIO propriè est studium nocturnum, non solum circa literas, sed etiam alias res. Cataneus.

Isidorus *lucubrum* esse dixit modicum ignem, qui solet ex tenui stuppâ, ceráque formari.

LUCUS. Luci sylvæ erant in conspectu villæ fundiq; inceduæ Diis consecratæ, quas ferro temerare nĕfas erat. Vid. Cæl. Rhod. lect. antiq. lib. 12. cap. 1.

Scribit Strabo lucos à Poëtis templa Deorum vocari. Existimabantur luci religione quadam esse imbuti, utpote Deorum domicilia. Denique nullus erat lucus, ubi non adesset aliquod Numen. Quod sensisse

ſiſſe Ovidium puto in illo verſu Metam. 7. quamvis aliter explanent interpretes :

- *per ſacra triformis*
ille, Deæ, lucoque foret, quod numē in illo jurat.

Ignorabat enim Jaſon, quodnam Numen in illo luco coleretur : per illud tamen jurat, gnarus non poſſe lucum eſſe ſine numine. Franciſc. Sanctius Commentar. in Alciat. Emblem. 22.

LUDII, inquit Dionyſ. Halicarnaſſæus, adoleſcentes erant tuniculas induti inſignes, galeati & enſiferi peltatique, qui omnibus Circenſibus & Theatralibus pompis in verſum incedebant, ipſius velut pompæ duces, Saliis ſimiles. Ludii ex eo vocati, quod à ludis hoc genus ludicri inventum videretur. Turneb. lib. 6. adverſ. cap. 6. & lib. 19. cap. 20.

LUDUS propriè eſt quodvis ludicrum ad animi recreationem vel corporis exercitationem fieri ſolitum : propoſitâ tamen quâdam lucri ſpe & damni periculo. Nam quæ ad ſolam voluptatem fiunt, teſte Vallâ, *Luſus* propriè dicuntur vel *Luſiones*. Unde *Ludum aleæ* meliùs dicimus, quàm *luſum* : & contrà, *Luſum trochi*, meliùs quàm *ludum*.

Et

Et *ludi* in genere nihil aliud fuerunt, quàm publicæ celebritates, instructæ vel ad placandas Deorum iras, pro salute populi, vel ut Magistratus populum sibi devinciret, eique voluptatem quandam crearet.

Tamen adhuc sanctiores erant apud antiquissimos Romanos *ludi* ac postea fuerunt; cum ne ludis quidem scenicis interesse possent fœminæ Romanæ, sine consensu eorum, in quorum potestate erant. Nam ex Valer. Maximo scimus; P. Sempronium Sophum conjugem repudii notâ affecisse, cum se ignorante ludos spectasset. Christoph. Adam. Ruperti Observat. in Flor. pag. m. 58.

Inter ludos verò, qui plurimi Romæ fuerunt, spectatissimi fuerunt Romani à Regibus primum instituti, Jovi Junoni, & Minervæ celebres. Nam singulis Diis singuli dicati ludi erant, quos ad placanda numina cum sacrificiis, cumque cantu & tibia celebrabant, prætoris edicto id decernente. Tarquinius igitur Priscus cum ludos Magnos opulentius, instructiusque instituisset, quàm priores fuissent, *Magni* dicti sunt, in eos enim ducenta millia num-

mûm

mûm impensa sunt. Verùm de Romanorum ludis & spectaculis Plinius libr. 7. c. 56. lib. 36. cap. 15. Blondus lib. 3. Romæ triumphantis. Alexand. ab Alexandr. l. 6. c. 16. Volaterran. lib. 20. cap. 11. & alii.

Ludi publici erant duorum generum, *Gymnici* & *Scenici*. De quibus vide *Circenses ludos*.

Ludi scenici. Quibus scenici agones exercebantur, qui & Musici agones dicebantur, Dionysiaci quasi Libero patri dicati. Quare & homines ipsi scenici uno verbo à Græcis Dionysiaci artifices dicuntur, auctore Aristotele & Gellio lib. 10. prout annotat Budæus in l. Athletas ff. de his, qui not. infam. Ludi verò publici apud Romanos *circo* & *cavea* dividebantur. *Circo* cunicula circensia, & pugillatio, luctatioque continebantur. *Caveâ* theatralia & scenica ludicra.

Sic & Græci dividunt ludos in *Gymnicos* & *Musicos*. In *Gymnicis* est luctatio & pugillatio, & curricula. In *Musicis* Comœdiæ & Tragœdiæ & alia. De ludorum scenicorum verò origine Cælius lib. 8 cap. 7. lect. antiq. & cap. 8. libri ejusdem,

 ubi

ubi tradit, *Scenicos dici à scena, id est, tentorio à rusticis inumbrationis causâ excitari solito.* Annotat. in Liv. lib. 9.

Ludi Megalenses fiebant in honorem magnæ matris Deûm Cybeles, qui & *Megalesia* sive *Megalensia* dicebantur. Fiebant autem hi in palatio Romæ, sicut testatur Cicero in Oratione de Harusp. Responsis. Celebrabantur per sex dies à pridie Non. Aprilis ad 5. Idus.

Hoc festo patricii mutitare soliti sunt, plebes cerealibus. Gellius lib. 17. cap. 2. Id est, mutua inter sese dominia, sive convivia agitare, ut Gellius ipse lib. 2. cap. 24. interpretatus est. Causam addit Ovidius lib. 4. Fastor. quod Magna Deûm mater, ex Pessinunte Phrygiæ Romam accita & transportata, sedem benè mutavisset, & inde patricios vicissim mutua inire convivia. Sic enim inquit:

Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis indictas concelebrentque dapes?
Quod bene mutarit sedem Berecynthia, dixit,
Captant mutatis sedibus omen idem.

Not. in Gell. lib. 18. cap. 2.

Apol-

Apollinares, qui in honorem Apollinis, bonarum artium tutoris, fieri solebant. Vid. *Apollinares ludi.* *Ludi Cereales* vid. *Cereales ludi.*

Plebeji, qui pro salute plebis exhibebantur. In his ludis agebantur Comœdiæ.

Funebres, qui pro funere alicujus patricii viri instruebantur. Calvin. Lexic. jur.

Ludi Seculares monitu Sibyllinorum carminum in honorem Ditis ac Proserpinæ & aliorum Deorum instituti, centesimo vel centesimo decimo anno celebrandi per triduum & trinoctium. Præco per universam Italiam populum convocabat & invitabat ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset. *Quindecimviri* sacris faciendis in Capitolio piamina dividebant populo, quæ erant tæda, sulphur & bitumen. Varia Diis variis sacrificia fiebant, & in templo Apollinis Palatini ter noveni pueri prætextati, totidemque puellæ patrimi omnes matrimique, Græcâ, Romanâque voce carmina concinebant; quibus imperium suum & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Lege carmen seculare Horatii. Hildebr.

Ludos privatos descripsit libro singulari Julius Cæsar Bulengerus. Eos recenset Horatius lib. de art. Poët.

Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescat.

Et Ovidius lib. 3. de art. amandi:

Nunc pila, nunc celeri vertitur orbe trochus.

De singulis suo loco.

Triplex olim ludorum & agonum exhibendorum causa: Deorum religio, mortuorum ὁσία, & edentium honos. Qui ex duabus prioribus causis exhibebantur, sacri ferè erant & inviolabiles, eorumque origo prior est & antiquior: *Serò enim transierunt ludi ab honoribus deorum & mortuorum ad honores viventium: quæsturas dico, Magistratus, & flaminea ac sacerdotia*, inquit Tertullianus.

Postea autem ita res in frequenti usu fuit, ut temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in Repub. sortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum impenderet, aut impendisset. Merito igitur Augustus hos potius ludos coercuit, qui ex ambitione pravâ originem habebant, quàm illos priores: Vid. Is. Casaubon. in Sveton. August. cap. 32.

LUPERCALIA die 15. Februarii celebrabantur lustrationis causâ, in memoriam Romuli & Remi à *lupâ* nutritorum. Dies illa antiquitus *Februata* appellabatur.

Lupercalium mos, inquit Valer. Max. lib. 2. cap. 2. *à Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum lætitia exultantes, quod his avus Numitor, Rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander Arcas consecraverat: facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petiverunt.* Ubi notandum est, quum Valerius dicit, *Lupercos immolatarum hostiarum pellibus cinctos fuisse*, id non esse ita intelligendum, quasi toto corpore pellibus tecti fuissent, ut quidam veterum pellibus vestiri consuevere, sed ab ilibus tantùm, nam ad ilia semper fuêre nudi. Hæc clarius docet Plutarchus in Romulo, ubi lupercalia satis fuse describit, ad quem etiam Lectorem remitto. *Post hæc*, inquit, *dissectarum caprarum pellibus cincti, nudi currentes scuticis obvios cædunt.* Sic etiam in vitâ C. Cæsaris:

Multi juvenes nobiles & principes nudi currunt per urbem, hirsutis scuticis obvios per jocum & risum cædentes. Livius quoque Romanæ historiæ princeps, ejusdem turpitudinis mentionem facit. Lib. 1. cap. 5. *Ferunt*, inquit, *ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerat loca, solenne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes per lusum atque lasciviam currerent.* Virgil. Æneid. 8.

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos.

Sic Festus in voce *Crepos. Crepos*, inquit, *Romani Lupercos dicebant à crepitu pellicularum, quem faciunt verberantes. Mos enim erat Romanis in lupercalibus nudos discurrere, & pellibus obvias quasque fœminas ferire.* Sed non tantum sacrificuli & viles popæ nudi aliquando erant, nec solùm lascivi juvenes per urbes vagabantur, sed etiam ipsi ἄρχοντες *principes*, uti modò ex Plutarcho, in vita C. Cæsaris, audivimus.

Nefariam istam Religionem apud Arcadas olim etiam obtinuisse, indeque ad Romanos allatam, cum Livio, loco citato, docet quoque Plutarchus in vita C. Cæsaris. *Erant enim*, inquit, *Lupercalia, de quibus mul-*

ti tradunt fuisse olim festum pastorum, conveniunt etiam cum Arcadicis Lycæis.

Percutiebant autem Luperci pellibus præcipuè fœminas, ut iidem Auctores docent; *Credentes id multum facere ad facilem partum prægnantibus, & ad conceptum infæcundis.* Ideoque etiam principes fœminæ, non tantum avide exspectabant, donec percuterentur, sed ultrò sese obtulerunt, manumque porrigebant, instar puerorum, ut à ludimagistro plagam acciperent. Et sanè non tantùm scuticis aut pellibus feriebant, sed etiam ferulâ, aut saltem pellibus instar ferulæ plicatis. Hinc Plutarchus: *Multæ principes fœminæ, ultrò sese offerunt, ac manus ferientibus sicut in ludo literario præbent.* Hinc Prudentius lib. 2. in Symmach. expresse mentionem facit ferulæ:

Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur.
Discursus juvenum.

Vid. Joan. Braun. lib. 1. de Vestit. Sacerd. Hebr. cap. 1.

Sed non mirum, spurcissimos homines gentiles aliquando nudos sacra fecisse, cum & ipsos Deos sæpe nudos, & fœdo admodum more in templis & in publico collo-

caverint. Ipsum *Jovem conservatorem, custodem, statorem, victorem. Saturnum, Neptunum. Apollinem, Martem, Mercurium. Herculem, Æsculapium*, & nescio quem non. Sed ante omnes meminisse oportuit obscœni illius *Priapi*, de quo Tibullus cap. 1. El. 4.

Nudus & hybernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstivæ tempora sacra canis.

Et *Cupidinis*, de quo Moschus Eidyll. 1.

Γυμνὸς μὲν τόγε σῶμα, νόος δέ οἱ ἐμπεπύκασται.

Et *Veneris*. Nam.

Nuda Venus, fœcunda Pales, Pharetrata Diana.

Vid. loc. cit.

LUSTRUM ferarum habitaculum in sylvis: à *luto*, ut Servius putat, *eò, quòd apri suesque sylvestres in lutosis ferè locis sua habeant cubilia.* A quâ similitudine ii, qui in locis abditis ac sordidis desidiæ & ventri indulgent, *in lustris vitam agere* dicuntur. Propter quod & *lustra* dicuntur *popinæ* & *lupanaria*, ubi *lupæ*, id est, *meretrices*, delitescunt. Cic. 2. Philip. *Quum omnes impuritates impudicâ in domo quotidiè susceperis, vino lustrisque confectus.*

Lustrum

Luſtrum item dicebatur ſacrificii quoddam genus,quo urbis luſtrandæ gratiâ ſus, ovis & taurus immolabantur. Varroni *luſtrum* à *luendo* dicitur, id eſt, *ſolvendo*,quòd quinto quoque anno vectigalia per Cenſores locata perſolvebantur, & à civibus tributa conferebantur.

Quia verò cenſus ipſe ſive luſtrum quinto quoque anno habebatur (quanto tempore durabat Cenſorum Magiſtratus) invaluit conſvetudo, ùt *luſtri* appellatione ſpatium quinque annorum appelletur: quod *Olympias* apud Græcos dicitur, i. e. *quinquennium*,ita tamen, ut quadriennio exacto, quintò quoque annò ineunte, luſtrum peractum intelligatur. Calep. Voſſ.

LUSTRICUS Dies vid. *Novendiale.*

LUSTRATIO. Totas plerumque inſulas [ùt de Delo apud Herodotum & Thucydidem legimus] urbes, conciones, theatra, exercitus luſtrabant: ad quam ritè peragendam admodum apta habebantur ova. Ovidius in μαιευτεχνίᾳ,

Et veniat,quæ luſtret anus lectumque locumque:
Præferat & tremulâ ſulphur & ova manu.

Juvenal. Sat. 6.

- - Niſi ſe centum luſtraverit ovis.

Sed nihil tàm necessarium, quàm sulphur, Plinius lib. 35. idipsum innuit his verbis: *Habet & in religionibus locum sulphur, ad expiandas suffitu domos.* Plura de hac superstitione Brodæus lib. 2. Miscell. & Casaubonus ad istud Persii:

> - *Frontemque atque uda labella*
> *infami digito, & lustralibus ante salivis*
> *expiat.*

Hæc Virdungus. Adde de istâ salivâ, cujus Persius meminit, Lindenbrogium in Cirin. p. 285. Alia ad lustrationes veterum pertinentia observarunt Turnebus lib. 4. c. 15 & l. 9. Advers. c. 10. Item Casaubonus ad Theophrasti Characterem περὶ δεισιδαιμονίας p. 303. & l. 1. Animadversionum in Athenæum c. 2. p. 4. & ad hunc locum Capitolini in Marco: *Romam omni genere lustravit*; ubi docet è Tertulliani libro de Baptismo, & Polyb. lib. 4. Histor. usitatum lustrationis genus fuisse, ut vel aspergine circumlatæ aquæ urbes expiarent; vel ipsas victimas circum pomœria aut muros urbis ducerent. Cui jungendus Scaliger ad Cirin pag. 76. Athenienses ut urbem

urbem suam lustraverint, tradit Helladius Besantinous apud Photium p. 545. & adjicienda, quæ notatu dignissima observavit Reinesius lib. 1. var. lect. c. 15. & eod. lib. c. 20. Cumprimis autem hic alludit istud lustrationis genus, de quo idem Scaliger ad Ætnam p. 125. Adde Castigationes ejusdem in Festum, voce; *Amtermini*. Hæc Rupertus in Observ. ad Florum p. 225.

Tanagræi eum, qui cæteris puberibus formâ præstare videtur, festo die Mercurii eligunt, ut agnum humeris portans, muros urbis lustret, hoc enim existimant ad firmitatem civitatis attinere, & simili ratione à Mercurio usurpatum. Pausan. in Bœot.

Lactantius in Papin. 10. Theb. *Lustrare civitatem humanâ hostiâ Gallicus mos est: nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet; qui anno toto publicis sumtibus alebatur purioribus cibis: denique certo & solenni die per totam civitatem ductus ex urbe extra pomœria saxis occidebatur à populo.* Vide quæ de hoc & similibus ritibus, qui hostiâ humanâ fiebant, scripsit Alex. lib. 6. Gen. cap. extremo.

Fuit

Fuit hæc veterum religio magna, ut unius capite aliis ſalus daretur. Notant verò Græcorum Commentatores, cùm iſti ducerentur ad ſupplicium cani illis ſolitum: περίψημα ἡμῶν γένȣ. *Sis pro nobis peripſema!* quo ſignificabant illum eſſe piaculum, & tanquam ſervatricem victimam. De la Cerda Not. in Virgil. Æneid. 5. pag. 590. ſeq. Vid. *Devotio.*

Varia luſtrationum genera fuere apud Romanos: Si verò exercitus luſtrandus eſſet, in campo Martio exercitus inſtruebatur, & ſue, aut hirco, ove & tauro luſtrabatur: Milites ipſi lauro coronati, rem divinam faciebant ſub dio, & hunc luſtrandi morem Servium Regem primum inſtituiſſe ferunt. Alii hanc exercitus luſtrationem ita peragebant: ſuem, ovem, taurum, qui puri eſſent, ter circum acies inſtructas præcedente pompâ ducebant, Martique Deo immolabant. Annotat. in Liv. lib. 1.

LYTÆ, qui quartum jam annum operam dabant juri civili: *Prolytæ*, qui quintum. Ac *prolytæ* quidem vocati, quia *lytis* eſſent doctiores. *Lytæ* antem ἀπὸ τȣ̃

λύειν,

λύειν, ſive quia eos feciſſent progreſſus, ut juris nodos atque ænigmata ſolvere inciperent: ſive quaſi λυτοὶ h. e. ſolubiles, quia jam eſſent ſolvendi à præfinitâ ſtudiorum ratione. Quare & Heſychius προλυτὰς interpretatur παραλελυμένους. Cauſa igitur appellationis fuerit, quòd cùm è L. libris Digeſtorum tantum 36 prælegi ſoleant, atque poſtremus iſtorum, poſtremus item quarti anni liber eſſet: poſt illa abſque Magiſtri ope per ſe reliquos 14. legerent, quaſi miſſionem jam nacti à Magiſtrorum caſtris. Voſſ. Lex. Etym.

M

Apud veteres Ægyptios & Romanos nonnunquam ſingulæ literæ hieroglyphicorum munus explevêre. Certè Meſſenii in ſuis clypeis M literam pingebant, ſui & populi ſignificationem indicantes.

Quin in ſortibus Veterum erat M nota moroſitatis & ſtoliditatis ſignum, unde proverbium ἔλαχες τὸ M. *obvenit tibi M*, quod Dionyſio aliquando objectum cavilli

villi vice, cui ſors M obtigerat, Μωρολογεῖς Διόνυσε, cui tamen vafrè & vero de ſe præſagio reſpondit ille, Μοναρχήσομεν οὖν. Ex eo autem quod res Dionyſio bene ceſſerant, illud Proverbium de callidis & magna tentantibus dici cœptum. Pier. lib. 43. Hierogl. c. 150. & 51. Beyerl.

MACELLUM dictum [ut ait Donatus] ab *Aomanio Macello*, ſingularis latrocinii viro, cujus in exilium ob facinora acti, ædes publicatæ ſunt & dirutæ, ut ibi venirent, quæ veſcendi cauſâ eſſent. Hinc

MACELLARIUS, qui in macello non ſolùm carnes, ſed omnia obſoniorum genera, quin etiam panem & frumentum vendit. Calvin.

MACHINÆ hîc ſunt, quas noſtrates Sturmzeug/ poſteriores verò Scriptores Latini *Ingenia*, & earum architectos *Ingeniarios* dixerunt, ab *ingenio* ſcilicet, quod in iis ſtruendis ſive moliendis intervenit. Lipſius lib. 1. Poliorc. dial. 1.

In ſubitâ oppugnatione adhibita 1. *Corona* ad claudendum & terrendum; hinc ſæpè occurrit, *coronâ urbem cingere, capere, expugnare.*

2. *Teſtudo militaris*, cum ſcutis ſuper

capita

capita elatis muro milites ſuccedebant.

3. *Scalæ*, quæ vel compactiles, ut plicari rurſumque explicari poſſent, vel coriaceæ è corio conſutæ; vel ſtuppeæ, ex funibus ſtuppeis inſtar retis contextæ.

4. *Crates*, quarum duplex uſus, ſive ut tegerent antè latæ, ſive ut foſſas iis explerēt & mixto aggere, quaſi per pontes irent.

5. *Vinea*. E levioribus lignis machina colligatur alta pedes 8. lata 7. longa 17. hujus tectum duplici munitione tabulatis cratibusq; contexitur, latera quoq; vimine ſepiuntur, ne ſaxorum telorumq; impetu penetrentur. Extrinſecus autem ne immiſſo concremetur incendio, crudis ac recentibꝰ coriis operitur. Cùm plures factæ fuerint, junguntur in ordinem, ſub quibꝰ ſubſidentes tuti ad ſubruenda murorum fundamenta penetrant.

6. *Pluteus* eſt machina mobilis ambulatoria ex tabulis, vimine & corio conſtrata, ternisque rotulis, quarum una in medio, duæ in capitibus apponuntur, ad muros adigi ſolita.

7. *Teſtudo*, tabulatū ex trabibꝰ, pluteisque factum, coriisq; ac ciliciis contectum adverſus flammam & incurrentia ſaxa, ſub

quâ

quâ latebant milites, qui viam turribus aut vineis muniebant, saxa de via removebant, solum æquabant. Aliàs omnes hæ machinæ tegentes testudinis nomine veniunt.

8. *Musculus* machina, quâ tecti milites, apportatis lapidibus, lignis & terrâ, fossas complebant, ut turri ambulatoriæ viam munirent, usus ejus etiam erat in subruendis muris.

9. *Vectes* è ligno aut ferro pali ad onera sublevanda aut promovenda; ferreis utebantur ad muros subruendos. *Vecticularia vita* eorum dicitur, qui vectibus parietes furandi gratia perfodiunt.

10. *Dolabra* distincta à securi, licet forma sit securis, sed parte alterâ in mucronem acuminata; quæ serviebat maximè muris deruendis, ut securis vallo & lignis cædendis.

In oppugnatione diuturna necessaria erat *Circumvallatio*, ne nuntii, cibi, auxilia intrarent. Veteres ad hos muros struendos usi sunt laterculis crudis, Romani cespite: *Agger* enim moles erat ex terrâ lignisque extructa contra murum, de quo tela jactantur. *Vallus* stipes ramosus in aggeris

ris summâ parte desigi solitus ad aggerem confirmandum & loricas extruendas, quem vallum Legionarii milites una cum reliquis armis in itinere ferebant. *Loricæ* erant eminentiæ aggeris aut murorum, quæ pectus defendebant: fiebant ex cratibus aut pluteis i. e. crassis asseribus & tabulis. *Corvi* stipites ramosi, quibus utebantur ad terram coërcendam adstringendamque identidem interjectis, tum etiam ad impediendum ascensum. *Lilia* stipites erant à summo peracuti ad similitudinem floris ejusdem nominis non aperti: & hi tegebantur viminibus & virgultis. *Cippi* stipites tricipites aut quadricipites cacuminibus præacutis ab infimo revincti, ne revelli possent. His castra muniebantur.

In oppugnatione præterea requirebatur *turris mobilis* sive ambulatoria, quæ erat machina instar ædificii ex trabibus & tabulis constructa; intus erat Aries, quem suspensum milites in hostium murum impellebant; ex superiore parte pons demittebatur in eundem murum & scalæ confestim injiciebantur. Tota autem machinatio à militibus circiter quinquaginta in-

trorſus promovebatur, cùm muſculus aut vineæ præcederent, ſub quibus foſſores raſtris & ligonibus viam muniebant.

Cuniculus eſt meatus ſubterraneus ſuffosſus.

Malleoli manipuli ſpartei ex pice, ſulphure aliisque ignis fomitibus confecta, ad incendenda ædificia accommodati.

Falces murales, quibus de muro extrahebant lapides. M. Frid. Hildebr.

MACTARE eſt à *mactus*, hoc dicitur, quaſi *mauctus*, h. eſt, *magis auctus* : teſte Servio in 4. & 9. Æneid. Sic Cato herbam adultam vocat *mactam*, nempe ab *augmento*. Similiter *magmentum* eſt *majus augmentum*. Invenias apud Varronem lib. 4. de LL. & item Arnobium lib. 7. & inſcriptionibus antiquis. Inde *magmentaria vaſa*, quibus magmenta & exta ſacra impoſita inferebantur aræ. Ita interpretantur Gloſſ. vett. Arnobium hoc quoque uſum putat Turnebus lib. 22. cap. 6. Vide etiam quæ de magmento ſcribit Andreas Schottus lib. 1. obſervat. humanarum cap. 11.

Quod verò *mactare* accipitur pro *cædere*, id fit μεταληπτικῶς, & κατ' εὐφημισμὸν, quòd

cædis

cedis voce in sacrificiis, ut mali ominis, abstinerent.

At propriè *mactare* dicebantur, cùm thure, vino, aliove super hostiâ posito, diceretur MACTE HOSTIA. Ita Varro 4. de LL. & 2. de moribus populi Romani; Servius in 4. Æn. Indeque apud Catonem in pollucenda dape legere est: *Macte hocce vino inferio esto: Macte hocce ferсto esto: macte hacce dape pollucenda esto.* Ubi Deo, cui sacrificatur, dicitur, *Macte esto*, pro *mactus*, hoc est, *cumulatus, auctusque.* Vocandi casus pro Attico ponitur pro recto; quomodo apud Tibullum legas: *Huc venias hodierne*, pro *hodiernus*: Et apud Persium sat. 3.

Stemmate quod Thusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas.

Pro *millesimus* & *trabeatus*.

Deum autem *mactum* esse jubebant, quia putarent, sacrificiis augeri Deorum felicitatem, unde legimus, *augeri victimis*, & *mactare Deos extis.*

Ad alia quoque transfertur hoc verbum:

út cùm Cicero apud Nonium inquit, *mactare honoribus*. Quo de Andr. Schottum vide lib. 4. Nodorum Cicer. cap. 4. Sed durius ad res malas transtulit Plautus, apud quem solenne est, *mactare malo*, vel *infortunio*. Quemadmodum & idem usurpat pro *fatigare*, aut molestiam *creare*; út cùm Rudente Act. 1. Scen. 2. ait: *Si sapiam, hoc quod me mactat, concinnem lutum*. *Voss. Etym.*

MAGISTER, qui cæteris, quibus præest, est major: à rebus œconomicis & civilibus translatus est titulus ad Scholasticas. *Magistri*, ait Festus, *non solùm Doctores sunt artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum, navium*. Unde & Magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm privati, διδάσκαλος, καθηγητὴς Græcè, imò & μέγας. *Magister* enim dicitur, qui aliis est *major dignitate & excellentiâ*, sicut *Minister*, qui *aliis minor*. L. Beyerlinck.

Magister variè à Latinis ponitur; sed tamen si uno verbo propriam hujus vocis significationem habere velis, dicitur generaliter Magister, cujus authoritatem & exemplum in re quavis sequimur: vel cui præ-

præcipua rerum cura incumbit. Hinc *Magistri pagorum, collegiorum*, &c. Scalig. Dolet.

MAGISTER Convivii, Συμποσίαρχος, eligebatur, qui prout convivæ cupiebant, vel ad summum, vel eo minus infundi curaret, præcaveretque, ne quis ultra vires à proximo invitatus poculis obrueretur. Gell. libr. 15. cap. 2.

Magister Equitum, quem Dictator sibi eligebat administrum ex Consularibus aut Prætoriis, cui potestas in equites erat commissa. Eandem potestatem habuit, quam Regum temporibus *Tribunus Celerum* & postea imperio in unius manu posito *Præfectus Prætorio*. Insignia ejus Prætexta, Curulis, sex lictores. Sub Imperatoribus etiam Magister Officiorum, ad quem Palatii disciplina pertinebat.

Magistri vicorum, qui & *Vicomagistri* sunt appellati, quatuor per singulos vicos creabantur, ut illos tuerentur.

MAGISTRATUS. Verbum *Magistratus* communiter à JCtis à voculâ *Magister* deducitur. *Magister* autem, sive à *Magis* Persarum Sapientibus, sive à verbo

magis, ut Minister à verbo minus, descendere videtur. Cui enim [respondit Paulus] præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, quàm cæteri, diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi Magistri appellantur. Qui etiam ipsi *Magistratus* per derivationem à *magistris* cognominantur. Unde etiam cujuslibet disciplinæ Præceptores *Magistros* appellari, à monendo vel monstrando docet Paul. in l. cui præcipua. 57. Ubi Alciatus, Brechæus & Fornerius. D. de V. S. Quod explicat Pauli coætaneus, Ulpianus: *Nam creditoribus, inquit, in possessionem rerum debitoris tergiversantis missis, Magistri creari solent, quibus cura rerum vendendarum incumbit.* l. cum plures. 15. D. de reb. authorit. Judic.

Veteribus enim verbum *magistrare* idem quod gubernare vel imperare fuit; teste Festo, dum scribit: *Magistrare, moderari, unde MAGISTRI non solùm Doctores artium, sed & pagorum, civitatum, vicorum, collegiorum & Equitum dicuntur; quia omnes hi magis quàm cæteri possunt. Unde & MAGISTRATUS, qui per imperia potentiores sunt,*

quàm

quàm privati. Quæ vox duabus significationibus notatur. Nam aut personam ipsam demonstrat, ut cum dicimus, Magistratus jussit; Aut honorem, ut cùm dicimus, Titio Magistratus datus est. Hæc Festus. Idem Varro de Lat. Ling. lib. 4. Vid. Nicol. Myler. ab Ehrenbach in hyparchol. cap. 1. §. 1.

Magistratus nomine apud Romanos veniunt Dictatores, Consules, Proconsules, Censores, Ædiles, Quæstores, Tribuni plebis, Præsides, Prætores; Hodie verò Magistratus & Officiales sunt Præfecti, Prætores, Sculteti, Judices, Quæstores & similes personæ, publicam potestatem à Principe Imperii habentes. *Quasi* [secundum Glossam] *in majori statione viventes.*

Magistratus cùm ipsum officium denotat, quomodo dicimus *aliquem magistratum gerere*, tùm eos, *qui in aliquâ potestate sunt constituti. Magistratus* alii erant *Urbani*, qui in Urbe, alii *Provinciales*, qui extra Urbem res agebant. *Majores*, quorum majora sunt auspicia, aut quorum potestas imperiumve majus est. *Minores*, quorum minus. *Ordinarii*, qui nec eodem tempore, nec semper. *Patricii*, qui solis patriciis

patebant, ut Interregnum. *Plebeji*, qui soli plebi, ut Tribunatus & Ædilitas plebis. *Mixti*, qui cuique Ordini, ut cæteri omnes. *Curules*, quibus jus est sellæ. *Non curules*, quibus minimè.

MAGNIFICENTIA est (inquit Cicero de invent. lib. 1.) rerum magnarum & excelsarum cum animi amplâ quâdam & splendidâ propositione agitatio atque administratio.

MAGUS. De voce *Magorum* audi Barthium ad Claudianum p. 106. Persarum linguâ *Magus* est, qui nostrâ *Sacerdos*. Vid. Apulejus Apol. Clitarchus & Sotio apud Laërt. l. 1. Juvencus l. 1. Histor. Apost.

Gens est Eôi Phœbo orto proxima regni,
Astrorum solers ortusque obitusque notare,
Quorum primores nomen tenuêre Magorum.

Magos, olim sacrificiis præfectos fuisse, clarum ex Xenophonte. Hos à Romanis etiam Principibus non raro in consilium adhibitos fuisse, testis Claudianus, Sidonius, Svetonius. Magi itaque honestissimi nominis atque existimationis. Sed quia jactabant futurorum scientiam, nomen eorum

rum ad veneficos etiam atque Pharmacos, ut loquitur Petronius, descensum fecit. Vid. Sophocles, Suidas.

Magi vox à barbaris profecta: Erant enim sacrorum antistites, Regum moderatores, & sapientiæ divinæ & humanæ periti habebantur. Inde sensim cœpit in infamiam vergere, pessimisq; artibus assignari. Ita cuncti venefici, incantatores, Thessali, arioli, aruspices, Chaldæi, Genethliaci, necromantici, præstigiatores, lamiæ, sagæ, & hoc genus alii, aliiæque pestes generis humani, Magis accensi & execrati.

Magorum triplex genus erat: *Primi* fuêre sapientiæ magistri, doctissimi juxta ac plane sobrii siccique, ut qui præter farinam & olera nihil ad mensam adhiberent. *Alii* Antistites & Sacerdotes, qui in Perside suam sectam perseverarunt, quos Persæ *Magos* vocarunt. *Extremi*, qui malorum Geniorum ope & operâ variis præstigiis animos mortalium suspenderunt, luserunt, sæpius etiam anteverterunt; quorum magia malas artes continet.

Inventionem Magiæ Zoroastro Bactrianorum Regi certatim adscribitur. Rader. Not. in Q. Curt. lib. 3. c. 3.

MAGIA nunc significat præstigias Dæmonum. Olim erat honestæ rei appellatio, sicut *Sophista* & *Tyrannus* mutarunt suas significationes mutatis rebus, quia vocabula valent usu, sicut nummi (quemadmodum ait Horatius) quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi. *Magia* non significabat olim, quod nunc significat, sed erat honestissimæ rei appellatio, scilicet doctrinæ, religionis & rerum divinarum. Nunc quid significet, notum est. Sic olim sapientes appellabantur *Sophistæ*; nunc ita vocantur odiosi rixatores. Tyrannus olim erat honesta appellatio boni principis & gubernatoris; nunc opponitur hoc nomen bono principi. Sicut enim res mutantur, ita etiam nomina mutantur.

MAJESTAS est excellentia dignitatis, sive honor eximius cum veneratione, qui ex admiratione potestatis, virtutis aut rerum gestarum defertur. Beyerl.

MALEFICIUM communiter sumiter, ut sit idem, quod malefactum, injuria, jactura, sive, ut dicit Budæus, quidquid improbè admissum est. Strictius tamen usurpatur hoc nomen pro signo & ef-

fectu

fectu magico ac superstitioso: à quo maleficos dicimus incantatores, sagas, &c.

Et definitur esse species Magiæ, quâ quis ope dæmonis alteri damnum parat, nisi enim pactum cum dæmone interveniat, non erit maleficium. Beyerl.

MANCIPATIO est genus venditionis inter solos cives Romanos usitatum, fieri solitum solenni ritu: Adhibitis enim quinque testibus civibus Romanis puberibus & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam tenens vocabatur *Libripens*. Is, qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, quoniam emtus est mihi hoc ære, æneâque librâ.* Deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quasi pretii loco.

Qui autem pater naturalis filium emancipare volebat, is die cognitionis filium fiduciario patri emancipabat, hac utenti formulâ: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, quoniam emtus est mihi hoc ære æneaque librâ.* Naturalis autem pater respondebat: *Hunc filium meum tibi mancipo*, & accepto precio in jure cedebat.

Qua

Quo ritu ter peracto Prætor addicebat & tum è potestate patris filius egressus putabatur, quod enim in servis *Manumissio*, in filiis dicitur *Emancipatio*. Vid. *Emancipatio.*

MANGONES. Vetustissimis usque temporibus, cum nulla religio homines perinde ac belluas servitiis teneri ac permutari vetaret, inveniebantur, qui nullam aliam artem exercebant, quàm in vendendis, permutandisque infantibus, pueris, viris, virginibus, mulieribus, eunuchis, omnisque tandem sortis hominibus: sed inter hos aliquod discrimen observavi: quoniam, qui pueros, puellas & mulieres ad flagitium venditabant, antiquo Romanorum vocabulo *lenones* vocabantur; qui verò infantes in canistris, servos, eunuchos, aliosque homines alterius operis gratiâ venales habebant, ἀνδραποδοκάπηλοι & interdum ἀνδροκάπηλοι à Galeno, à Latinis *mangones* vocati inveniuntur. Mercurial. Variar. lib. 2. c. 1.

MANIPULUS in re militari dicitur à *manipulis* fœni, ut docet hic locus in Aurelii Victoris seu alterius Collecta-

neis

neis de origine Romanâ: *Romulus coactâ pastorum manu, eâque in centenos homines distributâ, perticas manipulis fœni variè vinctas dedit.* Unde institutum, út posteà milites, qui ejusdem signi essent, *Manipulares* adpellarentur. Idem docuerat Ovidius 3. Fastorum:

Illa quidem fœno; sed erat reverentia fœno,
Quantum nunc Aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.

Donati quoque eadem sententia ad Eunuch. Act. 4. Scen. 7. *Manipulus propriè est militis. Cum Romani & Latini sub uno Centurione bellum aggressuri deputabantur, sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujusmodi conficiebant, quem pro signo habebant.* Plura Voss. Etymologic.

MANTISA vid. *Momentum.*

MANUBIÆ sunt jactus fulminum, quarum diurnæ Jovis sunt; primæ & secundæ sunt albæ, quia sunt innoxiæ: tertiæ rubræ, quia immittuntur in exitium hominis: nocturnæ solius sunt Ditis, quæ ex quâlibet cœli regione demittuntur, æquè semper atræ & infaustæ. Inter diur-

nas tertiæ Palladi tribuuntur: Anton. Clarus lib. singul. in Leg.

Ex adductis illustrabis Claudianum, qui 2. Rap. *Ni Juppiter æthere summo Pacificas rubri torsisset fulminis alas.* Et Horatium, qui ait, Jovem jaculantem fulmina *terruisse urbem rubente dextera.* Uterq; enim dat Jovi & rubra fulmina, & quodammodo mitia, nam prior *pacificas alas*: posterior tantum, *terruit.* De la Cerda in Æneid. 1 pag. 12.

MANUMISSIO est datio libertatis, ut Inst. de libertinis §. 1. l. manumissiones. ff. de justitiâ & jur. Dicitur autem propterea *manumissio* Autore Festo, quia Dominus caput servi, quem in libertatem venire volebat, vel ejus aliud membrum manu tenens dicebat: *Hunc ego Hominem liberum esse volo,* emittebat eum de manu.

Manumissio tripliciter fiebat: *Censu, Vindicta* & *Testamento. Censu* manumitti dicebantur, qui lustrali censu Romæ, jussu Dominorum inter cives Romanos censum profitebantur, ut autor est Ulp. in epit. tit. 1. Alter modus *vindicta* dicebatur, primum inductus â Vindicio servo, qui ob patefactam indiciis suis Reipublicæ proditionem hoc genere libertatis donatus est. Aliis placet à

vir

virgulâ, quæ in hac manumiſſione ſolennis fuit, nomen impoſitum fuiſſe, de qua vide inf. in voce *Vindicta*. Tertius modus eſt, qui *teſtamento* vel *codicillis* fit; idque dupliciter: *Directè aut Obliquè*: *Directè* dari libertas dicitur, cum verba Teſtatoris ad ſervum dirigũtur, ſine ullâ circuitione aut anfractu, ut, *Stichus liber eſto*. *Obliquè* autem, cum non recta tendunt ad ſervum, ſed ad heredem aut alium feruntur, ut tandem ad ſervum perveniant. Connan. lib. 2. cap. 4. n. 2, 3. 4. 5.

In manumiſſionibus hoc nominatim adſcribi moris erat, ut ex antiquo manumiſſionis exemplo citat Cujac. obſerv. lib. 14, cap. 27. *Ille civis Romanus eſto, ita ut ab hodierna die ingenuus atque ab omni ſervitutis vinculo ſolutus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet procreatus. Eam denique peragat partem, quamcunque elegerit, ut deinceps nec nobis, nec ſucceſſoribꝰ noſtris ullum debeat noxiæ conditionis ſervitium: ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certâ pleniſſimâq; ingenuitate, ſicut alii cives Romani, per hunc manumiſſionis atq; ingenuitatis titulum, ſemper ingenuus & ſecurus exiſtat.*

Hoc modo omnis generis animalia dimitti ſolita, etiam piſces, ut apud Athenæum lib. 7. ſcriptum; maxime autem id facti-

factitatum in iis, quæ usui aut voluptati fuerant: quibus hoc quasi præmium datum, ut ante obitum manu emitterentur & sinerentur ἄφετα. Sic servos, quos amabant imminente morte properabant liberare, ut sáltem in libertate morerentur, ut Plinius in Epistolis docet. Sic in historia Marcellini 29. Valentinianus Imperator Innocentiam Ursam, qua diu fuerat oblectatus, tandem *ut bene meritam sylvas abire dimisit innoxiam.* Mulieres, quando erant missuræ è potestate aviculas, quibus plurimum fuerant oblectatæ, solitæ illis ungventum affundere. Vid. Not. Casaubon. in Sveton. Jul. Cæs. 1. cap. 81.

MANUS. De manus & digitorum nominibus deque numerandi per eos antiquorum ratione placuit Dialogismum II. Lilii Gyraldi huc transferre. E. Inter multa, quæ mihi petenda occurrunt, nihil magis arridet, quàm ut breviter *numerandi per digitos & eorum articulos*, antiquorum formulam, moremque nobis exponas, id quod video nobis valde profuturum ad diversorum scriptorum loca enucleanda. Sic faciam inquit L, atque eâ in primis ratione, quod tibi,

mi, cum sis in istâ disciplina eruditissimus, omnemque numerorum vim ac potestatem percalleas, indignum ac turpe videtur, hanc partem minus tenere. C. Istuc quidem ego quoque libenter audiam; nam & ego, ut scitis, numerorum artem quadantenus semper amavi. Sic faciam, inquit L. atque eò libentius, quòd utrique vestrûm unà rem admodum gratam facere intelligo. Verùm antequam rem ipsam aggrediar, non quidem, ut vobis manus addam, quod derisui signum esse solet, sed ut digitos prius, eorumque vocabula in medium proponam; ne digitum aliquando pro digito me fortassé dicere arbitremini. Nam tametsi apud antiquos, ut quidam (Plutarcho teste) putant, mos fuit, digitorum nomina ediscere, quibus contra metus ac pavores, tanquam ad mala remedium, utebantur: quo loco tamen Cælius noster, non proprios digitos interpretatur, sed idæos dactylos: nihilominus apud Scriptores non parvam controversiam de digitorum differentiâ, ac nominibus esse videmus; vixq; dum medici, quem sibi ipsi in manu proprium suæque arti attributum fatentur, a-

gnoſcunt, ſed vobis ego, quæ longâ lecti-one comperi, ſi attendetis, afferam:

Deſinit igitur *manus* in quinque, quos nos *digitos*, Græci δακτύλους nuncupant, quos antiqui Palladi dicatos credidere, & *roſeos* etiam, id eſt *pulchros* dixêre. Eorum verò, qui prior eſt, duorum eſt nodorum, *Pollex* à noſtris dicitur, quod eo manus, vel quod is inter cæteros polleat. Eadem ferè ratione Græcè ἀντίχειρ vocitatur, ùt Macrobius ait & Pollux, qui eum quoque μέγας, i. e. *magnum* vocat. Sunt, qui putant, eundem Latinè alio nomine appellari *hallucem*, verùm pedis pollicem eo nomine dici Feſtus ait, cum ſcandit ſuper proximum, παρὰ τὸ ἅλλομαι, quod eſt ſalio. A pollice proverbium factum eſt, ùt Plinius ſcribit, *premere pollicem*, cùm favemus, & *vertere* & *convertere pollicem*, contrarium, ùt pluribus Politianus & Eraſmus oſtendunt.

Pollici proximus digitus *Index* digitus, quod eo indicare ſoliti ſimus, unde & à Græcis hac ratione interdum δεικτικὸν nuncupatum legimus: modo *ſalutaris* appellatur

[...]tur: eo enim veteres protenso saluta[...]bant: quidam, quod eo silentium indiceretur, res maximè salutaris. Capella: *digito salutari silentium commonebat.* Eadem ratione Satyricus poëta, *digito compesce labellum*, dixit. Non aliam ob causam Ægyptii Harpocratem, nec Romani Angeronam Deos silentii digito ora comprimere finxerunt. Hunc eundem digitum Græcorum plerique λιχανὸν à *lingendo*, παρὰ τὸ λείχω: Tametsi quidam Expositores medium digitum interpretati sunt. Hunc & *priorem digitum* appellare videtur Apulejus, cujus verbis utar, ut adorandi, quo loco innuit modum intelligatur: *admoventes* inquit, *oribus suis dexteram priore digito in erectum pollicem residente*, *hac ille in Asino.* Idem in Apologia, & Plinius, sed non tam manifeste.

Indicem sequitur, qui *medius* à Martiale dicitur, & eadem ratione μέσος à Polluce, qui & ab eodem Martiale *impudicus*, à Persio *infamis*, à Juvenale *medius unguis* dictus est. Monstratus hoc certe digito notabatur, & derisionis signum.

Quare Diogenes hoſpitibus quibusdam Demoſthenem videre cupientibus, medio porrecto, eum illis oſtendit, non indice, ut facere conſuevimus, volens propterea hoſpitibus innuere, Demoſthenem hominem eſſe mollem, & effœminatum, cujus rei nomine malè audiebat, adeò, ut βάταλος ideò ab Æſchyle cognominaretur. Sed cur *medius digitus infamis* eſſet, cauſam quidam hanc afferunt, quod Judæi eo delapſa inteſtina reconderent. Sunt, qui dicant à verrendo podice; nam cùm hæmorrhoides ferè Judæi patiantur podicem ſanguine ſcatentem verrere hoc digito ſoleant, unde & ab ipſis aliquando verpus dicitur, & Judæi ipſi verpi eâdem causâ: ſed eorum pace dixerim, qui primi hoc commenti ſunt, & ſi alioqui viri docti, ac eruditi, verpi potius Judæi à verſa pelle dicti ſunt, ſicuti quoque & apellæ, & recutiti eâdem causâ nuncupantur: verpa quoque genere fœminino plerumque pro mentula apud Autores deſumitur, unde eſt illud in Priapeis, *Tot verpas tibi dedicat ſalignas.* Item Catullus: *Sed quantum video, pari fuiſtis Caſu, jam nihilo minore verpa farti eſtis.* Alii *medium* *digi-*

digitum ideò *infamem* appellant; quod ſubductis altrinſecus duobus digitis, & ipſo protenſo, verpæ, id eſt, mentulæ formam imitari videamur; Ariſtoxenus verò Pherecidem, ait, cum Pythagoras, qui viſitandi eum gratiâ advenerat, ut ſeſe haberet, interrogaſſet, digitum immiſiſſe per januam ac dixiſſe, aperte inſpice, eam poſtmodũ dictionem apud ſtudioſos in deteriorem ſemper partem acceptam eſſe, ſed & hic digitus, de quo agimus modo, *famoſus* interdum dictus eſt, eâdem, quam diximus, ratione; video & Græcis quibusdam ἴατρον, ut à noſtratibus nonnullis *medicum* nuncupatum, ut certe verum ſit, quod dicitur, *nondum medicos ſtatuiſſe, quis vere medicus digitus ſit appellandus*, σφάκιλον certè Græci vetuſtiores dixêre.

Sequitur *annularis*, qui à *geſtandis annulis* nomen accepit, longa ſit licet apud Macrobium hac de re diſputatio, ex corde enim nervulus quidam ad ſiniſtram in eum deſcendere exiſtimatur, unde & de lævâ tantùm quidam *annularem digitum*, dici voluere. Recentes Græci pari ratione hunc ipſum δακτυλιώτην vocant, Julius Pollux alique

iſque παράμεσον, vetuſtiores ἐπιβάτην; *Medicum* & *medicinalem* multi ex Latinis appellaverunt, hoc certe digito veniam ſermonis à Deis antiqui expoſcebant, quod plane ex Plinii verbis colligimus, *locus eſt*, inquit, *poſt aurem dextram Nemeſeos, quæ Dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem invenit, quo referimus tacto ore proximum à minimo digitum, veniam ſermonis à Deis expoſcentes.*

Minimus digitus, ut Porphyrion ait, ultimus eſt, *minusculus* à Plauto in Amphitryone dici videtur, μυώψ à Græcis vocitatus, à Polluce μικρὸς, à Latinis interdum *auricularis*, quod eo ipſo aures ſæpius purgemus, ac propterea & ὠτίτης à Græcis nunnunquam dictus.

Tota verò *manus* ſic ferè ab Ariſt. deſcribitur, ut in *palmam*, & *digitos* diſtinguatur, *digiti* in *nodos* ſeu *articulos*, & *internodia* & *ungues interiorem partem carnoſam volam*; *totam palmam* appellatam videmus. Non certe Pollucis deſcriptione *manus* uſus ſum, quoniam minus ad propoſitum; minus chiromantum, nam & ii parum Latinè ſcripſerunt, & inter ſe maxime diſſentientes ſunt. His ergo à me ſic propoſitis jam nu-

numeros, quos desideratis aggrediar. Si a-gis, inquit E. I. vero, illud ego vos, inquit, monitos velim, *numeros* ab *uno* usque *centum sinistrâ manu* denotari, à *centesimo* autem *numero dextrâ* deinceps numerabant. Ideo de Nestore Satyricus ait, *dextrâ jam computat annos.*

Numerum ergo quis *unus* dicitur pansa sinistra manu denotant *minimo* duntaxat complicato ad manus volam. *Duo* eadem manu *minimo* & *annulari* contractis. *Tres* eâdem duobus addito *medio* subsidentibus. *Quatuor* manu ipsa aperta *infami* & *medico* contractis. *Quinque* eadem contracto duntaxat *impudico*. *Sex* cæteris erectis complicato solo *aunnulari*, & si medium, ut puto, perperam quidam existimant. *Septem minusculo* solo ferè ad unius numeri modum palmæ affixo. *Octo* duobus contractis, ut numero duo docuimus. *Novem* tribus subsidentibus ad ferè numeri trium similitudinem. *Decem* verò *indice* pollicis articulum leviter attingente effingitur. *Viginti* summo *pollicis* ad *salutaris* & *impudici* radices adhærente. *Triginta* summo *indicis pollicis* summum exosculante.

Quadraginta eodem *salutari* in semicirculi formam complicato, erectoque *pollice* supercubante, qua ferè forma Christiani patibuli signum adjurantes effingimus. *Quinquaginta pollice* inflexo instar Græcæ literæ r accubante, ad *salutaris* & *infamis* radices. *Sexaginta indice* contracto in hemicycli figuram *pollicis* fronti subjacente. *Septuaginta*, *pollice* secundum *indicis* articulum impellente. *Octoginta pollicis* ungue ab incurvato *salutari* compresso. *Nonaginta pollicis* radicem ejusdem *salutaris* summitas inquietat.

At numerus, qui *centum* dicitur, transfertur, ùt diximus, in *dextram*, & eodem modo, quo unum pinximus, conformatur. Verum hic *dextra*, ille *sinistra*, & sic ad *mille* usque pari modo descenditur. Nam *centenarii* numerus per singulares usq; ad *decem* exprimitur. *Mille* verò numerus, ut *decem* effingitur, sed dextra, ut *centum*. *Millenarii* enim, ut *denarii* hoc est X. XX. XXX. & cætera notantur. Video tamen inter Scriptores maximam hoc loco differentiam, qui enim non multo ante nostram ætatē scripserunt, sic fere, ut nos modo, qui autem superioribus seculis, centum

tum in dextra, inquiunt, quo modo decem in læva: Ducentos in dextra, quo modo viginti in eadem læva; ita trecentos, & cætera, usque ad nongentos. Itidem mox mille in dextra, veluti unum in sinistra, duo millia in dextra, ut duo tantum in sinistra, sic tria millia & quatuor millia usq; ad novem millia. Porro cum decem millia effingunt, manum lævam media pectoris parte supinam digitis ad collum erectis apponunt. *Vigintimillia* sinistra ipsa expensa late pectori incumbente demonstrant. *Trigintamillia* eadem prona, sed erecta medii pectoris cuti seu membranulæ adhærente. *Quadragintamillia* eadem supina & erecta in umbilico conjecta. *Quinquagintamillia* eadem prona & erecta pollice in umbilico imposito. *Sexagintamillia* cadem læva prona femori innitente. *Nonagintamillia.* eadem sinistra supina femori supposita. *Octogintamillia* eadem prona femori innitente. *Nonagintamillia* eadem ipsa læva lumbos apprehendente ad inguina converso pollice. At vero, cum centum millia & ducenta millia ceteraque hujusmodi usque ad nongenta millia monstrare volunt, ea-

demmet forma & ordine formare solent, quo superius diximus, sed dextra & in dextra corporis parte. *Decies* autem *centena millia* ambabus manibus pectinatim digitis implexis significant. Hæc ille. Vid. & Pier. Hieroglyphic liber 37.

De hujusmodi computatione digitorum Plautus in Milite Act. 2. Scen. 2.

Dextra digitis rationem computat.

Item & Cicero lib. 5. ad Atticum. Plinius lib. 34. c. 7. ubi de Jani statua. Juvenalis Sat. 10. ubi de Nestore loquitur, quem ferunt tres ætates vixisse.

Felix nimirum, qui per tot secula mortem
Distulit, atq; suos jam dextera computat an̄os.

Item & Plutarchus in Apophthegmatis, ubi de Oronte Regis Attaxerxis genero. Tertullianus in Apologetico. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 5. & Horus apud eundem Saturnal. lib. 7. Apulejus in 2. Apolog. Boëtius in Porphyrium, & Cassiodorus in quadam ad ipsum Boëtium epistola. Donatus in Adelphos Terentii, & D. Hieronymus in Jovinianum lib. 1, non longè ab initio: & non nihil in epistola ad Gerontiam de Monogamia. Præterea & Beda & Isido-

[I]idorus & Julius Firmicus Maternus, quædam de his tractaverunt: ut ante Nicander in Græcorum Epigrammatis, in Cocytarim anum, & hujus computationis meminit. Ex omnibus Rhodiginus l.23.cap.12.

Nefas erat, illotis manibus tractare sacra, & hinc Hesiodus vetat, ne quis mane Jovi libet vinum χέρσιν ἀνίπτοις, id est, *illotis manibus*: unde etiam χέρνιβον apud Homerum crebra mentio, quæ vox perinde sonat, quasi dicas, *manuum lotionem*, à qua rem diurnam antiquitus auspicabantur, ut docerent, Deos immortales puris tantùm sacrificiis delectari & placari. Annot. in Liv. l.1.

In divinis literis per *manus* actiones significabantur, eò, quòd per eas opera fieri soleant. Earum autem puritas insontem ostendit. Unde gestus abluendarum manuum innocentiæ signum, & professio est. Antiqui certè, quando contestari volebant, se alicujus esse sceleris innoxios, neq; impuris facinoribus se immiscuisse, assensumve præbuisse, in multitudinis conspectu manus abluebant. Pier. lib. 35.

Qui se victum fatebatur, adversario manus tendebat quasi nectendas, ut deditius. Lucr. lib. 12.

Sed

Sed magis acri
Judicio perpende; & si tibi vera videntur,
Dede manus: aut si sunt falsa, accingere contra.

Virgilius lib. 12. Æneid.
Vicisti, & victum tendere palmas Ausonii videre.

Dextram Fidei sedem Veteres existimarunt, sicut genua Misericordiæ. De la Cerd. Not. in Æn. 4. pag. 471.

MAPPA veli genus, quod mensis insternimus, quoque abstergendis manibus utimur, signum erat in ludis Circensibus, qvo equi de carceribus excitati cursum arripiebant: mittebat enim Prætor eam, cum signum daret, quod nunc clangore tubarum significatur, de quo apud Martialem:
Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam
Nero libertos suos id facere voluit, quo tanto apud veteres honori ducebatur. Pierius lib. 40: *Mappam mittere*, pro signum dare apud Tertullianum contra Valentinianos. Vid. Junii Adagia.

MASTIGOPHORI, lictores, qui virgas in sacris certaminibus ferebant, quibus

quibus insolentiam certatorum spectatorumque coërcent. Calvin.

MATRONALIA Festa erant Calendis Martiis à Matronis celebrata, quibus servis cœnas apponebant, muneraque viri mulieribus mittebant, ut in Saturnalibus viris mulieres. Alexander ab Alexand. Genial. dier. lib. 3. cap. 24.

MAUSOLEUM. Ita nominatum fuit Mausoli Cariæ Regis sepulchrum, extructum ab Artemisia uxore: quæ Mausolum virum adamasse fertur, super omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem. *Is Mausolus, ubi fato perfunctus est & inter lamenta & manus uxoris funere magnifico sepultus est. Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans, ossa cineremque ejus mixta odoribus, contusaque in pulveris faciem, aquæ indidit ebibitque; multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. Molita quoque est ingenti impetu operis conservandæ mariti memoriæ caussâ, sepulchrum illud memoratissimum dignatumque numerari inter septem omnium terrarum spectacula. Agona quoque id est certamen laudibus ejus dicendis fecit, propositis pecuniæ, aliarumque rerum bonarum præmiis amplissi-*

plissimis, ut est apud Gellium lib. 10. Noct. Atticar. c. 18. Cæterum priusquam opus id absolveretur, fatis concessit Artemisia: Artifices tamen non recesserunt, nisi opere perfecto: ut gloriæ artisque suæ monumentum relinquerent. Plinius. libr. 36. cap. 5.

De hoc Mausoleo accipiendi sunt hi Martialis versus:

Aere nec vacua pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares ad astra ferant.

& Propertii. lib. 2.

Nec Mausolei dives fortuna sepulchri,
Mortis ab extrema conditione vacat.

Ab hoc sepulchro omnia Regum & Imperatorum monumenta preciosiora *Mausolea* fuerunt nominata. Sic enim Suetonius & alii intelligendi, quoties Mausolei meminerunt. Henr. Salmuth. in Panciroli. part. 1. tit. 32.

MEDIASTINUS, mancipium vilissimum, quod mediis in ædibus stat, ut ad cujusvis jussa & imperata præsto sit. Ulp. l. 15. §. 31. ff. de injur.

ME-

MEDICINA est ars curandi valetudinem corporis.

Medicina alia est *empirica* ex solâ observatione & experientia; alia *methodica* ex solis præceptis & causis remedia adhibens; alia *rationalis* seu *dogmatica*, quæ conjungit experientiam & causas; tandem alia *spagirica* seu *Paracelsistica*, quæ imprimis medicamentis chymicis incumbit.

Medicinæ vulgò constituuntur quinque partes, nempe *tres theoreticæ*, ut φυσιολογία, de rebus in homine naturalibus; παθολογία, de rebus in homine præternaturalibus; σημειωτική, de signis causas morborum judicantibus: & *duæ practicæ*, nempe ὑγιεινὴ seu *prophylactica*, de sanitate conservanda, & θεραπευτικὴ seu *jatrica* seu *curatoria*, de perditâ sanitate recuperandâ.

Medicinæ revera sunt tantum duæ partes: *Una*, quæ sanitatem tuetur, nempe *Hygiene*, & *altera* quæ amissam recuperat, nempe *Therapeutica*. Nam his duabus reliquæ tres inserviunt. Micræl.

Habe-

Medicinæ repertores excultoresque Veteres omninò Divorum numero accensuerunt, Apollinem, inquam, Mercurium, Arabum, Dioscuros, Cadmum, Chironem, Apim, Æsculapium, Podalirium, Machaonem, qui & Homero ἰλ. δ. 212. ἰσόθεος φὼς laudatur, & alios; quòd crederent, tam excellentem disciplinam non potuisse humanis ingeniis excogitari. Proinde à Luciano Abdicato appellatur *Deorum doctrina*. Rad. Not. in Q. Curt. lib. 3. cap. 6.

MEDITRINALIA à *medendo* dicta, Festa erant die XI. Octobris instituta, quo die mustum gustantes dicebant: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.*

MEDIUS-FIDIUS, vel tres sunt voces, vel unica, non duæ, ùt putarunt. Nam, ut dicimus *me-Hercule*, ita & *me-Dius-Fidius*: ac utroque per Herculem juratur: ùt indicat Tertullianus lib. de Idolol. c. 22. ubi de posteriori hoc jurandi genere ita scribit: *Accedente quorundam ignorantiâ, qui ignorant esse jusjurandum per Herculem.* Idem indicat etymologia. Nam etsi non ignorem, Dionysium, *Fidium*, transferre πίστιον, ac apud Charisium & Festum quo-

que, legatur, velle aliquos *Mediusfidius* esse juramentum *per divi fidem*: vel *per diei fidem*: tamen longè verisimilius fit, quod apud eundem Festum legitur, voce eâ significari *Jovis filium* i. e. Herculem, quòd *Jovem* Græci Δία appellent; *Fidium* autem poni pro *filio*, quòd sæpè antiqui pro L. literâ D. utebantur. Confirmat hanc sententiam Varro 4. de L. L. Ælius Gallus *Dius Fidius* dicebat Dijovis filius, ut Græci Διόσκουρον, Castorem: & putabant, hunc esse *Sanctum* ab Sabinâ linguâ, & *Herculem* ab Græcâ.

Porrò illud *me*, quod in *me Dius Fidius* primum locum obtinet, nonnullis placet esse pronomen, ut ἐλλειπτικὴ sit oratio, pro, *Ita me Dius Fidius amet*. Ac fuit hæc quoque sententia Festi, sive Paulli, ut qui scribat: *Mecastor* & *Mehercules* jusjurandum erat, quasi diceretur; *Ita me Castor*, *Ita me Hercules*, ut subaudiatur, *juvet*. Mihi magis verisimile fit, *me* hîc adverbium esse, atq; idem significans, quod *per*. Nam quod Græcis μὰ & νὴ, id Latinis *me* & *ne*: unde *me Hercule*, per Herculem; *me Castor*, per Ca-

Castorem; *epol* per Pollucem; *edepol*, per Deum Pollucem; (non per ædem Pollucis.) *ecere*, per Cererem; *ejuno* per Junonem; *equirine*, per Quirinum, &c. In quibus *me* quidem est ex Græco μὰ· E verò ex ἦ abjecto *n*, nisi malis ex *me* factum per ἀφαίρεσιν de quo non pugno. At cur ad ἐλλειπτικὴν orationem confugiendum sit, causæ nihil hactenus video. Scribit Agellius lib. 11 cap. 6. viros *per Herculem*, mulieres *per Castorem*, utrosque *per Pollucem*, solitos jurare. Addit inibi: Nusquam scriptum invenire est apud idoneos quidem Scriptores, aut *Mehercule* fœminam dicere, aut *Mecastor* virum. Plura Vossii Etymologia. Item Christian Becman. de Orig. Lat. Ling.

MEGALENSES LUDI vide *Ludi Megalenses.*

MENS vid. *Animus.*

MENSA Ea res sacra habebatur, in quâ omnium primum collocabatur Dei alicujus simulacrum cum salino. Vulgatum illud Arnobii: *Mensas vestras salinorum appositu & Deorum simulacris sacras facitis.*

Mensæ [quæ Persis aureæ & argenteæ] Diis sacræ, quibus statuæ Deorum inferebantur, veluti tutelæ mensarum & conviviorum. Rader. in Q. Curt. lib. 5. cap. 2.

MENSARIUS. Fuére, qui existimarunt, argentarios eosdem fuisse cum mensariis, sed plurimum inter eos interfuisse ostendit Sigonius lib. 2. cap. 11. de jure civium Rom. *Mensarii* siquidem publicam rationem conficiebant, *Argentarii* privatam; *illi* rei nummariæ publicæ curatores, *hi* negotiationis privatæ erant. Vid. Annot. in Liv. lib. 7.

MENSIUM duo sunt genera: nam alii *naturales* sunt, alii *civiles*. *Naturalium* species duæ, quod partim Solis, partim Lunæ esse dicuntur. Secundum Solem fit mensis, dum Sol unumquodque in Zodiaco orbe signum percurrit. Lunaris autem est, temporis quoddam spatium à novâ Lunâ.

Civiles menses sunt numeri quidam dierum, quas unaquæque civitas suo instituto observat: ut nunc Roma à Calendis in Calendas.

Naturales & antiquiores, & omnium gen-

gentium communes sunt: Civiles & posterius instituti, & ad unamquamque pertinent civitatem. Hæc Censorinus lib. de die nat. cap. 18. Calvin.

Mensis quilibet quot dies habeat, docent versiculi:

April ter denos; *Jun*; *Septemberque*; *November*
Uno plus *reliqui*. Viginti *Februus* octo.
At si bissextus fuerit, superadditur unus.

Mensium partes apud Romanos sunt *Calendæ*, *Nonæ Idus*, juxta versiculos:

Prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ.
Sex Nonas *Majus*, *October*, *Julius &* *Mars*.
Quattuor *at reliqui*. *Dabit* Idus *quilibet* octo.
Inde dies alios omnes dic esse Calendas.
Quas retrò numerans dices à mense sequenti.

Mensium partes apud Græcos fuêre, *Neomenia*, *Decas*, *Eicas*. Micræl.

MENSORES vide. *Miles*.

MERCES propriè ad Mechanicos, aliosque liberales artifices pertinet. Quia illi operas suas locant.

STIPENDIUM ad milites.

SALARIUM verò propter dignitatem ad liberalium artium & honestiorum officiorum functiones, quia probitas animi & intellectus locari non possunt. Ex Döppleri Rationar. fideli pag. 350. Plura vid. inferius.

MERENDA cibus, qui post meridiem datur, ita dicta, quòd his daretur, qui mererent ære, i. e. mercenariis. Vide Becman. de Orig. Lat. Ling.

MERETRIX à *merendo*, juxta Vallam, quod mercede suam exerceat militiam. (Becmannus de Orig. Lat. Ling. inquit: A meritum *meritrix*, non à mereri, *meretrix*. Foret enim media longa.) Sic & in Campaniâ meretrices erant alicariæ, quæ propter quæstum ante pistrinum alicariorum sedebant, non secus ac aliæ ante stabula sedebant, & prostibula dicebantur. Willich.

Meretrix honestioris loci est, & quæstus, quæ copiam sui tantummodò noctu facit:

Pro-

Prostibulum vel *prostibula*, quæ se prostituit quæstus diurni & nocturni causâ, autore Nonio.

METEORA, corpora imperfectè mixta & variis impressionibus mentes hominum percellentia. Micræl.

METATOR vid. *Castrametatio*.

MICARE. Sortitionis varii erant modi: *micare* dicitur, de eâ quæ fit per digitos subitò expansos sub certo numero. Non. lib. 33. hunc morem eleganter exprimit, describens certamen inter Cupidinem & Hymenæum, quos inducit miro jaculationis genere brabeuta Ganymede certare.

Hinc dictum est *dimicare*, quod propriè est sorte ac micatione finem imponere controversiæ: deinde accipi cœpit pro tollere controversiam quoquomodo: sed quia ferro id sæpe fit, propterea pro pugnare ponitur, prorsus ut κρίνειν, & *cernere*. Græci Magistri πυκτεύειν vertunt eleganter: nam propriè dicitur de ea pugnâ, quæ ex rixâ inter duos est orta. Fuit autem frequens apud veteres micationis usus in controversiis: nam etiam in contractibus

faciendis, ſi de precio, aliave qua re non conveniret, micatione controverſiam tollebant. Sic res in foro, ſic carnes de lanio emebantur. Quod tamen poſtea jure mutatum eſt, cautumque, ut ſub exagio, hoc eſt, πρὸς σταθμὸν, non micatione carnes emerentur. Vid. Caſaubon. Comment. in Sveton. Auguſt. cap. 13.

MICROCOSMUS dicitur homo, quaſi *parvus mundus*: quia nihil eſt in *macrocoſmo* ſeu magno mundo, quod in ipſo non invenias. In illo *caput*, ubi ratio dominatur, eſt quaſi cælum ſupremum; *medius venter* cum corde cœlum ſtelliferum cum Sole. *Infimus venter*, ubi generatio & nutritio, eſt quaſi regio ſublunarium. Sic etiam analogia *planetarum*, *elementorum* & *meteorum* in homine invenitur, ùt patet ſcrutanti. Micræl.

Ut annum, ſic menſes currentis anni Diis Veteres conſecrarunt: Januarius ſacer Junoni; Neptuno Februarius; Minervæ Martius, Aprilis; Veneri Majus; Apollini Junius; Mercurio Julius; Jovi Auguſtus; Cereri, Vulcano, September; Baccho October; November Marti; Dianæ December.

cember. Sic divisum inter se annum cum Jove Dii habent.

Apud alios (inquit Pierius) longe secus invenio, ex religione quippe veterum menses singulos ita Diis singulis adscriptos, ut Januario Juno præficiatur, Februario Neptunus, Martio Minerva, Aprili Venus, Majo Apollo, Junio Mercurius, Julio Jupiter, Augusto Ceres, Septembri Vulcanus, Octobri Mars, Novembri Diana, Vesta Decembri. lib.14.Hierogl.cap.8.

MILES. Militia. Militia est multitudo apta & composita in armis ad vim faciendam aut arcendam sub certâ lege. Lips. de Milit. Rom. lib. 1.

Militiæ genera tria fuerunt; *Sacramentum, Conjuratio, Evocatio. Sacramentum* eorum, qui jurabant singuli se pro Republicâ esse facturos, nec discedebant, nisi confectis stipendiis. Sacramento militari jubebantur militantes *sequi ducem, quocunque duceret.* Tale Sacramentum & apud Græcos fuisse in usu, patet è Curtii lib. 7. ubi milites Alexandrum Regem his verbis compellant: Annon in tua verba, tui omnes, te præeunte juravimus, nos inimicos amicosque

habituros esse, quos tu haberes. Juraturi enses vibrabant & distringebant, quo significarent evaginatis gladiis, ut puto, ulciscendam violati Sacramenti fidem, etiam in altum elatis manibus, miram quandam alacritatem attestabantur. Lucan. l. 1.

- His cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Et hi dicebantur Sacramento addicti, id est, obstricti. Uti autem tirones arma sumturi in jusjurandum adigebantur, ita exauctorandi eodem illo juramento solvebantur, priusquam dimitterentur. Dempst. ad cap. 9. Antiq. Ros.

Conjuratio in tumultu: cùm singulos interrogare non vacabat, qui ducturus erat exercitum, ibat in Capitolium & inde proferens duo vexilla, unum *Roseum*, quo pedites evocabat, alterum *Cæruleum*, quo equites, dicebat: *Qui vult salvam Rempublicam me sequatur*; Et qui convenissent, simul jurabant.

Evocatio

Evoratio, cum ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus.

Militum ordines numerantur quatuor: 1. *Pilani* sive *Velites*, qui minimi ætate & fortunæ tenuioris erant. *Vide Antepilani.*

2. *Hastati*, his adultiores.

3. *Principes* ætate ac robore præstantiores.

4. •*Triarii*, milites veterani spectatæ virtutis, qui tertio loco, cæteris profligatis, prælium inibant.

Præterea militum alii *Munifices*, alii *Immunes*: Illi, qui munus facerent, fossas & vallum struerent, excubias stationesque obirent, quales omnes gregarii. *Immunes* qui his omnibus vacabant, hi & *Beneficiarii* dicebantur.

Duo & horum erant genera, alii, qui ex lege & more, alii, qui ex beneficio vacabant. Ex lege Tribuni & Centuriones, qui munerum exactores erant, non actores, item Equites & Veterani. Beneficio, quibus id indultum per gratiam, vel quod Virtute meruissent.

Erant

Erant & *Adſcriptivi*, (de quibus ſuo loco plura,) qui ſupplendis legionibus adſcribebantur.

Ferentarii, levis armaturæ milites à ferendo auxilio ſic dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant.

Rorarii, qui ante prælium juſtum, quaſi rorantes, dimicabant.

Duplicarii, quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur. Vegetius ita: Armaturæ duplares, quæ binas conſeqvuntur annonas; Simplares, quæ ſingulas.

Volones, qui poſt Cannenſem cladem voluntariè ſe ad militiam obtulerunt. Plura inferiis.

Primani, *Secundani*, *Tertiani* à numero Legionum, in quibus militabant.

Teſſerarii, qui teſſeram per contubernia militum nunciabant.

Metatores, qui præcedentes locum eligebant caſtris.

Menſores, qui in caſtris loca dimetiuntur, in quibus tentoria milites figant, vel qui hoſpitia in Civitatibus præſtant.

Tubicines, *Cornicines & Buccinatores*, qui tubâ vel ære curvo & buccinâ prælium committere ſolebant.

Calo-

Calones & *Lixæ* militum ministri. Calones à Græco Κᾶλα dicti, qui ligneas clavas gestabant & ligna militibus subministrabant. *Lixæ* aquas apportabant. De Calonibus vide plura suo loco.

MILITARIS Cibus & *Potus*. Salem & legumina data militibus lego bisque die hos cibum sumsisse; prandium tenue & stantes sine ullo apparatu: cœnam verò paulo lautiorem, idque non nisi ad signum. Antiquiores etiam panis loco pulte usi, unde Romani à Plauto dicti Pultiphagi. Vulgus aquâ merâ usum, interdum aceto aquâ mixto. Ævo posteriore sub Imperatoribus militi laridum datum, caseus, posca, quæ potio ex aquæ acetique misturâ temperata, & buccellatum, qui panis ad usus diuturnitatem excoctus. Allii quoque frequens usus, hinc proverbium: *Ne edas allia & fabas*, quo, teste Suidâ, significabatur tranquillæ vitæ amatoribus, à bellis & judiciis [in his enim fabæ, in illis allii usus] abstinendum. Jos. Laur. l. 1. Polym. Diss. 40.

Militis stipendium. Romani milites initio stipendium non meruerunt, sed de suo quisque

quisque eo functus est munere. Diurnum postea peditis stipendium fuerunt oboli duo, Centurionis duplex, equitis drachma. Oboli duo, ùt Lipsius supputat, asses Romanos tres faciunt, vile profectò stipendium, quod Julius Cæsar duplicavit, Augustus auxit, & post hunc alii.

Militis ætatem quod attinet, ante septimum decimum & post quadragesimum sextum ætatis annum non nisi summâ necessitate cogente, quisquam vocari solebat. Observandum & illud, quòd inter milites recipiendus cingi consveverit, neque in castris discinctus sine nota quisquam versatus sit, &c. Hildebrand.

Mos erat Romanorum militum, ut armati adessent audituri suos Principes concionantes; Hi cùm dicebant, stabant. Cerda Not. in Æn. 12.

Militares pœnæ. Hæ duplices fuerunt. Leviores & acerbiores. Lenis animadversio fuit, quæ ignominiam tantùm inussit. Ignominia ea multiplex erat;

Cum

1. Cum hordeum pro tritico dabatur, ut indigni viderentur militum cibo.

2. Cùm ſtipendium ſubtrahebatur, qui *milites ære diruti* dicebantur, & *æs reſignatum militi* dicebatur, cum ob delictum; ne ſtipendium ei daretur, in tabulas erat relatum, atque ita puniebatur miles infrequens, qui abeſſet aut abfuiſſet à ſignis.

3. Cum extra caſtrum aut vallum miles tendere jubebatur, interdum & ſine tentoriis.

4. Discinctum & turpi habitu proſtitui, ut parùm virum. Inprimis detractio calcei nota erat infamiæ ignominiæque militaris. Tantum in cinguli jure Romoni poſuêre, ut ſi quis in caſtris diſcinctus verſaretur aut vallum ſubiret, piaculi inſtar haberetur.

5. Cum haſtam dare jubebatur, quæ vocabatur *Cenſio haſtaria.*

6. Cum ſtans cibum potumque capere cogebatur, quod de cœnâ intelliges: nam in prandio uſitatum ſtare.

7. Cum foſſam fodere inſpectante exercitu cogebatur.

8. Cum

8. Cum ignominiæ causâ militi venam ſolvi & ſangvinem mitti jubebant, quæ ſangvinis miſſio aliàs male ſanis ſolet eſſe remedio:

9. Mutare militiam, quod erat ab honeſtiore genere in humilius transſcribi.

Gravior animadverſio erat *Fuſtigatio*, cùm tribunus ipſe condemnatum leviter tangebat, & quaſi ſigno dato reliquæ multitudini militari objiciebat, quo facto, omnes, qui in caſtris erant, ferientes, alius fuſtibus, alius lapidibus in ipſis caſtrorum principiis hominem occidebant. Ita puniebantur, qui vigilias aut circuitiones neglexiſſent: falſum teſtimonium dixiſſent, aut ſi qui falsò ſtrenuum aliquod factum ſuum honoris præmiique cauſâ ad Tribunos retuliſſent, qui ter ob eandem culpam mulctati fuiſſent: qui in præſidio aut ſtatione poſiti per metum deſeruiſſent locum, aut arma in diſcrimine abjeciſſent; Qui à Græcis ῥίψασπιδες dicti, erant infames. Hæc pœna dicta *fuſtuarium*. Quod ſi plures peccaſſent & manipuli aliquot locum deſeruiſſent, fiebat *Decimatio*, quâ decimus quisque ſorte ad ſupplicium legebatur, interdum

terdum & *Vicesimatio* adhibita, imò & *Centesimatio.* Quandoque qui deliquerat, sub furcâ diu cæsus virgis, sestertio nummo venibat; alii præterea securi percussi, (in securis locum sub Impp. successit gladius) alii in crucem sublati sunt.

Inter animadversiones militares primitus fuit sanguinis missio veteribus, quæ irrogata primò creditur militibus animi stupentis, atque à naturalis declinantis habitu, ut non tam pœna videretur, quàm medicina. Postea ob pleraque alia delicta idem factum per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes, qui delinquerent. Gellius lib. 10. cap. 8. Muretus Variar. lib. 13. cap. 20. potius id factum arbitratur, ut sanguinem, quem cum gloriâ fundere pro patriâ noluerunt, cum ignominiâ amitterent. Aut ideò, quòd Valtrinus putat de militiâ Romanor. lib. 6. c. 8. quòd in subito pavore Medici venam solvi, & sanguinem mitti jubeant, ut sic pavoris ac timiditatis ignavi arguerentur. Quæ ratio in idem cum primâ redit. De hac, cæterisq; pœnis militaribus eruditè ac fusè Petrus Faber Semestrium lib. 1. c. 17.

Notandus adhuc mos Veterum, qui deficientibus telis ac viribus, cùm brevi morituros ſe ac lapſuros animadverterent in terram, collectis extremis viribus in adverſarii ſui corpus ſe conjiciebant. Lucanus lib. 6. v. 207. de Scæva:

Jam gradibus feſſis, in quem cadat, eligit hoſtem.

Statius lib. 2. de Polynice:

- - Nec plura locutus
Concidit, & totis fratrem gravis obruit armis.

Rupert. Obſerv. ad Flor. pag. 270.

Perſæ in exercitum proficiſcentes, Conjuges, Liberos, Matres, Pellices, ducere conſueverunt, ut hîc, quod eorum conſpectus animos illis adderet: ſimulque quod pro rerum chariſſimarum tutelâ acrius & ardentius dimicarent, Xenophon, Diodorus, Herodotus, obſervarunt. Neque ab hoc more Germani alieni, Hiſtorico teſte in Germaniâ. Apud Romanos primitus ita conſtitutum erat, ne uxores maritos, vel ad bellum, vel ad adminiſtrationem provinciæ abeuntes, comitarentur, niſi mariti vellent teneri ex delictis uxorum. Vid. Briſſon. lib. 3. pag. 312. Not. in Curt. lib. 3. cap. 8.

Per-

Persæ nunquam ante ortum Solem exercitum moverunt. *Ubi Sol exortus est, ex aureâ phiala Xerxes libans in mare apud Solem vota concepit, ne quid sibi adversi contingeret, &c.* Raderus.

Rationem instituti non absurdè credas fuisse, quod Deum, quem præcipua religione colebant, itinerum actionumque suarum ducem habere vellent. Eo fortè tendebat Germanarum matrumfamilias opinio, apud Cæsar. Gall. 1. 50. *non esse fas Germanos superare, si ante novam Lunam prælio contendissent.* Freinsh. Not. in Q. Curt. lib. 3. cap. 2.

Sic Martius ad milites apud Livium l. 25. *Ite, Diis benè juvantibus, corpora curate, ut integri vigentesque eodem animo in castra hostium irrumpatis, quo vestra tutati estis.*

MILLIARE à mille passibus dictum, est mensura VIII stadiorum in terrâ: & tunc dicitur *Milliare Italicum. Gallicum* autem milliare est passuum bis mille, *Germanicum* quater mille passuum seu XXXII stadiorum. Videsis Lexic. Philosophic. Micræl. Vide *Stadium.*

MILLIARIUM Aureum erat columna aurata in foro Romano, in quâ omnes Italiæ viæ incisæ terminabantur. Eadem erat quasi caput reliquorum lapidum, quibus milliaria olim signabantur, unde lapis seu cippus frequenter pro milliari apud Latinos Scriptores accipitur. *Milliaria cohors* à numero militum sic dicta est. Hildebr.

MIMUS est poëma extra fabulam recitatum; Salibus tantùm & dicacitate gratum & humillimi inter omnia scenica generis.

Mimus etiam dicitur artifex Comicus, qui sine verbis additis gestu eleganti quodvis factum & quosvis mores potest exprimere; qualis fuit Roscius tempore Ciceronis.

Pantomimus est personarum omnium in scena imitator.

MINERVAL sive *Minervale*, in Onomastico exponitur διδακτρον, quasi sit *mercedula*, quam scholastici persolvebant magistro, sed non est tam salarium ipium, quod mensis cujusque idibus persolvebant, ut ex Horatio etiam lib. 1. Sat. 6.

con-

constat; quàm *gratuitum munusculum*, quo aliquis se in disciplinam tradens novo commendabat Magistro: Unde in Glossis Philoxeni legas: Minervalitium, συστατικὸν, quasi dicas, *commendaticium*. Nomen à Minervâ ingeniorum præside, cujus imago in scholis poni solet. Namque Minerval designat Juvenalis illo Sat. 10.

Quisquis adhuc uno partum colit asse Minervam.

Quo de versu vide plura apud Politianum cap. 21. Miscell. Vossius.

MIRACULUM est, quo naturæ series vi supernaturali & extraordinaria superatur, ut quando Sol à cursu sistitur. Unde rectè dicitur, quòd nemo possit præstare miracula, nisi Deus. Micræl.

MISSILIA, à mittendo, dicimus variarum rerum donaria, quæ Imperatores atque olim Consules liberalitatis gratiâ, idque in perpetuam rei memoriam, populo colligenda spargere solebant: ut puta bellaria, linea, odores, ungventa. De quibus sic Martialis lib. 8. Epigram.

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit.

Hæc habentur pro derelicto, fiuntque occupantis.

Porro *missilia* pro telis, quæ in hostem emittantur, sciunt omnes. Calvin.

Olim Cæsares Romani, cùm ludos darent, tum alia publicè in populum effundere missilia solebant, cùm tesseras quasdam ligneas projicere, quæ vel frumenti, vel preciosorum valorum, vel equorum, vel servorum, vel vestimentorum haberent nomen inscriptum, sic, ut quamcunque quis harum nactus esset, ea ad certos homines relata, quod erat inscriptum, dono acciperet, &c. Gulielm. Canter. lib. 5. cap. 21.

Suetonius in vitâ Neron. cap. 11. ad fin. *Sparsa*, inquit, *& populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidiè millia avium cujusque generis, multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestes, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, novissimè naves, insulæ, agri.*

Sparsiones & Seneca vocat. Quæ sint missilia Fortunæ, & quid velit proverbium: *Expectare missilia*, docet Rhodig. l. 26 c. 6.

MISSIO, quæ militibus datur, quâ ſacramento ſolvuntur, & ab exercitu dimittuntur; quod interdum fit honeſtè, interdum inhoneſtè.

Miſſionum militarium tria ſunt genera. Eſt *honeſta misſio*, quæ emeritis ſtipendiis legitimoque militiæ tempore expleto datur. Quam Quintil. & Livius multis locis *juſtam* appellant. Eſt *cauſaria*, quæ ante tempus juſtâ aliquâ de cauſâ & honeſtâ datur: veluti ob valetudinem. Apul. lib. 4. de Aſino aur. Rebar enim, me jam debilem prorſus & exanimatum mereri cauſariam miſſionem. Unde *cauſarios*, quibus morbus cauſa erat, ne militarent, Livius vocat. Tertia eſt *ignominioſa misſio*, cùm quis propter delictum ſacramento ſolvitur. Et is, qui ignominiâ miſſus eſt, neque Romæ, neque in ſacro comitatu agere poteſt. Calvin.

MISSUS, ἀφέσεις, ſunt emiſſiones equorum è carceribus. In Romano Circo ſinguli miſſus fiebant quatuor curribus quadrigarum pro diverſitate quatuor colorum. *Miſſus* verò erant 25, qui perinde continebant 100. currus. Cerda Not. in Virg. Georg. 3.

MODI Comœdiarum. Carmina canticorum in veteribus Comœdiis, ad tibiam fiebant: modis temperabantur ab aliquo artis musicæ perito: nec iisdem modis in uno cantico omnia agebantur, sed sæpè mutatis. Olim cum simplici adhuc Musicâ uterentur, ita tibiæ erant comparatæ & factæ, ut singulis paribus, unus tantùm & singulares canerentur modi: Sic pro varietate modorum variæ etiam tibiæ factitatæ; aliæ erant, quæ *Phrygium*, aliæ quæ *Dorium*, & diversæ ab utrisque, quibus *Lydium* incinebant. Utraque jam tibiarum, in paribus tibiarum, ex uno internodio harundinis sumebantur: unum quippe internodium in duas partes æqualiter cæsum, duas tibias concinnabat æquales, ut ex Theophrasto liquet & Plinio de harundine. Romani hunc antiqvum Musicæ morem in Theatris diu retinuerunt, etiam postquam Pronomus Thebanus tibias invenit, quæ ad omnimodam modulationem versarentur. *Dextra tibia* gravem bombum emittebat, *sinistra* acutum tinnitum. *Dextra* & *sinistra* simul inflatæ, ex acuto & gravi mixtum edebant concentum: quare

re *Dorius*, qui graviſſimus erat, duabus dextris incinebatur: *Lydius*, qui acutiſſimus, duabus ſiniſtris: *Phrygius*, qui Dorio acutior, Lydio gravior, gravitate ſimul & acumine temperatus, dextrâ & ſiniſtrâ tibia modulabatur. Hinc Apuleius Hyagnidem Phrygem primum geminas tibias inflaſſe dicit, dextram & lævam, lævisque ac dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo concentum muſicum miſcuiſſe. Græci, Latinique Grammatici de *paribus* & *imparibus tibiis*, varia & incerta, falſaque prorſus, prodiderunt; nec id mirum, quum ad temporum ſuorum morem reſpicerent, quibus una eademque dextra & ſiniſtra, h. e. uno ζεύγει, omnimodos concentus inſonabant tibicines, à ſcopo aberrârunt.

Donatus dextras tibias, quæ ſua ſeriam Comœdiæ dictionem pronunciabant, Lydias ait vocatas: quod miror, cum ſiniſtris potius hoc nominis conveniat, quæ acuminis levitate jocum in Comœdia oſtendebant, non reſpexit ſcilicet ad λύδιον τρόπον, qui acutiſſimus; ſed ad *Tyrrhenos*, qui ludi erant, quorum tibiæ ſacrificæ fuere gravisſimi

ſimi ſoni. *Ubi autem dextra & ſiniſtra acta fabula inſcribebatur, mixtim joci & gravitatis denunciabantur*, inquit idem Donatus.

Hujuſmodi inſcriptio novæ Muſicæ inſtitutis locum minimè habuiſſet; Nam unis iisdemque tibiis, dextra ac ſiniſtra, omnigenæ modulationis varietas edebatur. Hinc ἡρμόσθαι αὐλὸν, ut citharam, dici vulgò notavit Plutarchus in Sympoſiacis. Qui una tibia modorum omnium modulationumque genera canere primi inſtituerunt, hoc aſſecuti ſunt lingularum in tibiis qualitate, & foraminum multitudine. Antiquæ tibiæ paucis foraminibus erant apertæ. Servius ex Varrone obſervat, dextram Phrygiam unum foramen habuiſſe, ſiniſtram duo: Pares igitur tibiæ, quæ parem foraminum numerum habebant, ut contra impares, quæ in numero foraminum diſconveniebant. Dextra & ſiniſtra cum jungebantur, ſemper impares erant; plura enim in ſiniſtra foramina quàm in dextra; at duæ dextræ pares, duæ etiam ſiniſtræ pares. Cum igitur legis, fabulam actam eſſe imparibus tibiis, de dextra & ſiniſtra debere intelligi, meminiſſe debes; cum

verò paribus, aut duabus dextris, aut duabus ſiniſtris paribus. Andria Terentii dicitur acta eſſe tibiis paribus dextris ac ſiniſtris; cave cenſeas actam fuiſſe dextra ſimul & ſiniſtra, quæ impares erant: ſed intellige tibiis paribus dextris primum modulatam fuiſſe, deinde & paribus ſiniſtris Sæpe enim modulationes in eadem Comœdia mutabantur: exemplo ſint Adelphi. Donatus in Præfatione ad eam fabulam ſcribit, modulatam eſſe tibiis dextris, id eſt; Lydiis, ob ſeriam gravitatem, quâ ferè in omnibus Comœdiis utitur Terentius. In inſcriptione verò illius fabulæ habetur, *modos feciſſe Flaccum tibiis Serranis:* inde aliquis induci poſſet, tibias Serranas & Lydias fuiſſe easdem. Sed Lydias in ea præfatione dextras Donatus interpretatus eſt, quæ gravitatem oſtendebant: Serranas verò pro ſiniſtris accepit in prolegomenis in Comœdia, & Tragœdia, quæ acuminis levitate jocum in Comœdia ſignificarent. Non poſſunt igitur eædem eſſe, Serranæ & Lydiæ, quæ omninò diverſæ,

Verum certo certius est, Adelphos Terentii actam esse Lydiis simul & Serranis, hoc est, paribus dextris & sinistris. Nam Donatus, qui in Præfatione dixit, illam fabulam modulatam fuisse Lydiis tibiis, addidit statim: *sæpe tamen mutatis per scenam modis, cantica mutavit: quod significat titulus scenæ, habens subjectas personis litteras*, M. M. C. significabant autem hæ tres literæ singulares, *mutatos modos cantici*. Sic ejusdem Comici Heautontimorymenos inscribitur, acta primum tibiis imparibus, hoc est, dextra & sinistra, deinde duabus dextris, hoc est, paribus. Salmasius.

MODESTUS ad probitatem vultus & morum pertinet.

VENUSTUS ad naturam corporis. Atque adeò sibi vultum fingere multi possunt: formam nemo. Donat. in Terent. Andr. act. 1. Scen. 1. Vid. & *Facies*.

MOLA Salsa. Apud Ethnicos nulla sacra sine molâ salsâ conficiebantur. Sic enim nominabant far tostum, sale conspersum: quòd eo molito hostiæ adspergerentur. Virgilius in Pharmaceut.

Spar-

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Et Horatius Satyr. 3. lib. 2.

Tu cum pro vitulâ ſtatuis dulcem Aulide natam
Ante aras ſpargisque molâ caput improbe ſalſa.

Quam enim Virgilius Molam ſale conſperſam; eam Horatius Salſam dicit, quâ Dii ſupplicantibus placatiores ſperabantur. Hinc Plautus in Amphitruone: *Prodigiali Jovi aut molâ ſalſâ hodie, aut thure maſculo comprecatum oportuit.*

Molæ adſpergendæ rationem ex ritu olim adhibito lubet cognoſcere. Mola enim iſta ex farre toſto, ſale ac thure ſic præparata, imponebatur capiti victimæ; quæ tum mactata credebatur & immolata, deinde vinum vel muſtum eidem affundebatur, prius ab auſpice deguſtatum, & à circumſtantibus leviter delibatum, qui ritus dicebatur *Libatio.* Poſtea extiſpicium fiebat, epulæ celebrabantur, chori agitabantur, & pedibus complodebatur, ut Petrus Gualterius ad Horat. Satyr. 3. lib. 2. adnotavit, à quo non longè abit Taubman. in Not. ad Virgil. Ecl. 8.

MODIPERATOR. Inoleverat Græcis mos, ut talis sortirentur, qui convivio præsidens leges decumbentibus diceret, quæ vocabantur *Nomi.* Hic verò testimonio Varronis *modiperator* Latine nuncupatur, veluti modum bibendi præscriberet. Cæl. Rhod. L. A. lib. 28. c. 6.

MODULOR verbum pastoritium & rusticum, cui opponitur, ex notâ Jul. Scaligeri, verbum

CANO. Una sanè Calliope Musarum Regina canit, cæteræ modulantur. L. de la Cerda in Æn. lib. 1.

MOMENTUM & *Mantissam* Germani eodem vocabulo exprimunt: quamvis *momentum* propriè sit ῥοπὴ h. e. propensio sive inclinatio examinis vel alterutrius lancis, der Hangk / wenn man beginnet zu sehen / auf welche Seiten es ausschlagen wolle: *Mantisa* verò, vel *Superpondium*, *auctarium*, quod justo ponderi vel æquilibrio adjicitur. Ein guter Ausschlag / Zugab oder Ubergewicht.

MONETA dicitur, quod monet signi vel auctoris impressione, ne qua fraus in metallo, pondere vel formâ committa-

mittatur, inquit Joannes Aquila de potestat. & utilit. monetæ. Unde & *Monetarii* sunt, qui Principis monetam cudunt.

Antiquitus Junonem Monetam appellabant; eò, quod monuerit Romanos per anserem; ùt voluit Lucanus, dicens:

Numina castrensis miscebis flamma monetæ.
Cic. lib. 1. de Divinat. Post cladem, inquit, maximám à Senonibus Gallis factam, audita vox ex arce Junonis fuit; ex quo Juno illa vocata est Moneta. L. Beyerl.

In monetâ debent considerari *liga* & *pondus*, id est, Korn und Schrott. Est enim certa ratio commiscendi aurum purum cum argento; & argentum purum cum ære seu vilioribus metallis, in usum monetæ. Et hanc mixturam vocant die Schickung/ Gallice *Alcy*. Intrinsecam autem bonitatem & preciositatem monetæ vocant *ligam* seu *pedem*, das Korn/das inwendige Gehalt. Pondus vocant das Schrott oder das Gewicht. Secundum hoc pondus in argento & auro *aliam marcam* faciunt *Troficam*, qualis est in Hispaniâ & Galliâ: aliâ *Coloniensem*, qualis in Imperio Germ. Utrâque dividunt in 8 *uncias*, seu in 16 *lothos* seu *semuncias*.

Ipſas autem uncias ſubdividunt in *anglos*, & ſingulos anglos in *momenta*, quæ vocant Aysz ſeu Eß. *Unica Troſica* habet anglos 20, *Colonienſis* tantum 19. Ubi notetur, quòd in auro puro marca ſedecim lothorum ratione bonitatis dividatur in 24 *ceratia* ſeu Karat; & ſingula ceratia in 12. *grana*. Aurum igitur, cui pars una pura ſeu unum ceratium purum deeſt, & pro illo ſubſtitutum argentum, dicitur aurum 23. ceratiorum: & ita deinceps. Marca autem ſeu 16. lothi in argento puro habet 288 grana: quia ſinguli lothi argenti puri diſpeſcuntur in 18. grana ſeu Grän. Micræl.

MONIMENTA, teſte Varrone, à monendo, quæ ſunt in ſepulchris: & ideo ſecundum viam, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Alii ſcribendum volunt monumentum per u, quicquid nos monet, ſive monere poteſt alicujus rei præteritæ:, ut tituli, ſepulchra, ſtatuæ, fana, porticus, carmina, hiſtoria, documenta, doctrina, libri, cæteraque hujusmodi. Ulpianus inquit, *Sepulchrum* eſt, ubi corpus mortui, oſſa ve hominis condita ſunt. *Mo-*

Monumentum autem dicitur, quod memoriæ servandæ causâ existit. Calvin.

Discrimen statuebatur inter monumenta sumtu publico facta, & ea, quæ decreto tantùm publico: Non enim fuit jus in Repub. Atheniensium ornare sepulchra defunctorum, quantum aut heredis, aut ipsius etiam defuncti ambitio postulasset: verùm de tumulis majoris impensæ cognoscebatur, neque is honos vulgò omnibus, sed claris tantùm Viris concedebatur. Diversus fuit publicæ sepulturæ honos, qui benè de Republ. meritis deferebatur, atq; iis interdum mausolea de publico excitabantur. Casaub. in Athen. l. 13. c. 7.

Monumenta suorum Veteres sepiebant, tenuiores quidem maceriâ aut humili aliquâ levique materiâ: Honestiores verò loricâ è silice vel saxo aut marmore. Statius in tumulo Priscillæ:

- - *tantas venerabile marmor*
Sepit opes.

Casaub. in Suet. Neron. cap. 33.

Mos prisci fuit seculi thesauros in monumentis sepelire: cujus exemplum est in historiâ Cyri apud Arrianum περὶ Αλεξάν-

δρου ἀναβάσεως. l. 6. Quin etiam ex iis, quæ Hyrcanus atque Herodes è monumento Davidis abstulerunt, abundè apparet, quantis divitiis is sepultus fuerit. Josephus enumerat Antiquit. libr. 16. cap. 11.

MONOPOLIUM (quod ἀπὸ τοῦ μόνου *unius* & πωλέομαι *vendo* ducitur) est, cùm penes unum aliquem tantùm vendendi potestas existit, id fit, cùm unus solus, vel, ut fieri solet, cum paucis secum admissis, exercet ac emit aliquod genus mercaturæ universum, ut solus suo arbitrio vendat & precium statuat. Calvin.

MONSTRA propriè sunt, quæ contra naturam fiunt, ut si homo cum bruti capite pedibusve nascatur. Hæc & *promonstra* aliquando dicuntur, quasi *porrò* aliquid *monstrantia*.

PORTENTA, quæ licet naturalia sint, raró tamen se ostendunt, & futurum aliquid, cum temporis intervallo denunciant.

OSTENTA veró, quæ statim futurum aliquid indicant, ut sunt sereno die facta tonitrua, cometæ, mulæ partus, &c.

PRODIGIA, quòd licet naturaliter

&

& frequenter eveniant, tamen ſemper aliquid præſagire videntur, ut ſunt bubonis ejulatus, occurſus muſtelæ, leporis &c.

Dicitur *monſtrum*, quod notabilem à naturâ deformitatem habet extraneam toti ſpeciei, & ob id monſtrari dignum: reperitur autem duntaxat in rebus animatis, quorum ſemen mollius eſt, quàm plantarum, & plura ad ejus terminationem exiguntur, quàm ſeminis plantæ, eſtq; generationis difficilioris. Ut verò monſtrum dicatur, debet eſſe contra diſpoſitionem membrorum & ſtructuræ, quam quælibet animalium ſpecies ſibi vendicat, ſic ut notabiliter ab eâ deflectat, aut inſigni errore natura degeneret. Beyerlinck.

Monſtra ſolebant Veteres celare, quia credebant aliquid mali, ubi naſcebantur, portendere. Vanâ proſus opinione, orta enim illa ex vano metu, quem raritas affert. Eſt enim in inſolito formido major, ignorantibusque omnia terribilia ſunt, ſicut leviora, quæ familiaria. Cur autem magis id rara poſſunt, quam quæ fiunt quotidie? Benè Cicero: *Nunquam eſſe factum, quod fieri non potuerit. Sin quod potuerit,*

non esse mirandum. Not. Var. in Terent. Hecyr. Act. 4. Scen. 1.

MORS aut *naturalis* est, aut *civilis*. *Naturalis* est dissolutio animæ naturalis à corpore, quâ regulariter extinguuntur. Mors *civilis* est, quâ quis civis Romanus è numero civium Romanorum tollitur. Ita civiliter mortuus est, cui vel ademta est civitas, vel civitas & libertas simul. Calvin.

Mortis mentio apud veteres erat abominanda. Quia quæ sunt ἐξάγιστα esse debent ἄρρητα. Qui faciebant testamenta, primum sibi benè ominabantur, deinde addebant, *si quid verò accidat*, ad significandam mortem; non ausi illam nominare. Cui formæ nonne similis ista Virgil. Æn. 9. vers. 299.

- - casus factum quicunque sequetur?

Dio. Chrysost. Orat. 6. ait, *nihil esse tristius, quàm* μεμνῆσθαι τοῦ θανάτου, *meminisse mortis, adeò ut hæc cura Reges quoque opprimat indulgentes cuicunque voluptatis generi.* Apud Sveton. Claudius moriturus cùm *mortalitatem* nominaret, qui aderant, abominati sunt vocem. Cerda Not. in Virgil. Æn. 9.

Ad hunc modum Ovid. in Epist. Laodomiæ,

Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris,
Sive (quod heu timeo) sive superstes eris.

Id est, sive moriaris, sive vivas. Sed primum non ausa Laodomia, dixit, *quod heu timeo*: alterum de vita clare posuit. Plura Cerda Not. in Virgil. Æn. 8. pag. 243. & seq.

Certe apud veteres *Mors* culta, ut Dea. Illi Lacedæmonii templa dedicârunt, auctore Plutarcho in Cleomene, θανάτε ἱερὸν, ait ille. Tu vide Titium lib. 4. locor. cap. 20. ubi ex Æliano, citante Eustathio, ϗ θανάτε ἄλλο, id est, ἱερὸν: & *Mortis templum aliud*, Cerda Not. in Virgil. Æn. 11. pag. 573.

Tria apud Veteres fuêre mortis genera: Mors *acerba, immatura, naturalis*. Mors acerba ab immatura distingvebatur hoc modo, quòd illa esset infantum, immatura juvenum, naturalis senum. Julianus Archiepiscopus Toletanus lib. 1.

Bona mors ἀθανασία dicitur, cum quis citò & sine cruciatu defungitur, ut Græcum illud Suetonius circumscribit. Plinius l. 2. Epist. *Postquam signatum est testamentum, mutat personam, vertit alloquutionem, iisdemque*

medicis. Quousque miserum cruciatis? quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam non potestis?

Ita *male mori* lib. 3. Epist. 16. est, difficulter mori. *Nihil agitis*, inquit, *potestis enim efficere, ut male moriar: ne moriar, non potestis.* Quod satis indicant, quæ mox sequuntur: *Dixeram vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.* Not. A. Buchn. in loc. cit. Plin. lib. 3. Vide *Funus*.

Mors spontanea. Apud Romanos priscos laude dignum erat, in re honesta, & Reipub. utili sibi ipsi inferre manus. Apud Thebanos tamen, qui mortem sponte oppeteret, nulla omninò laude dignus erat, quia potius crimini dabatur, eoque facinore pudendam inscitiam coarguebat suam, veluti sui carnifex immanisque naturæ foret. Athenienses verò cum necem sibi quis manu conscivisset; defuncto cadaveri manum tanquam facinorosam abscindebant, illamque divisam à corpore inhumatam relinquebant. Quod Platonis documentum fuit, qui censuit, optimum quemque infracto animo vim for-

tunæ & calamitatum incursus potius ferre, & nisi cum dies promissus advenerit, neminem injussu Dei mortem sibi consciscere oportere, idque magnificentius plerisq; multo videri. Annotat. in iv. lib. 1.

MOS μέσον vocabulum est. Hinc non pauci vel bonum vel malum adjiciunt, ut eorum mens facilius innotescat, sicut faciunt JCti multis in locis. Est autem mos ut ex Varrone recitat Macrob. in judicio animi, quem sequi debet consuetudo, unde cultus moris dicitur consuetudo. *Mos* est institutum patrium pertinens ad religionem ceremoniasq; majorum. Calvin.

MULCTA & *POENA* differunt: *Pœna* genus est, *Mulcta* species. Ideoque omnis mulcta pœna est, at non omnis pœna mulcta. Etenim quicquid moram, culpam, delictumve vel temeritatem coërcet, pœnam appellabimus: ac idem de mulctâ affirmare non licet.

Secunda differentia est in materiâ. Mulcta specialis peccati [scilicet pœna est] cujus animadversio hodie pecuniaria est [quia olim pecuaria erat, autore Festo, in cujus locum nunc pecunia successit, Gel-

lius cap. 1. lib. 11. nam & in commerciis loco pecudum hodie signata pecunia substituta est, l. 1. ff. de contrah. emt. l. 4. & l. 5. ff. de verb. signif.] pœna autem non tantùm pecuniaria (ut olim pecuaria Festus ac Gellius ex Varrone) verùm capitis ac existimationis irrogari solet. Mulcta igitur duntaxat & pecuniaria pœna, & in solâ pecuniâ consistit: at pœna non solùm est pecuniaria, verum etiam capitalis, & si quæ alia corporalis coercitio, cujusmodi est fustigatio, excoriatio, relegatio, deportatio, ultimum supplicium.

Tertia differentia in eo consistit, quòd mulcta damnum famæ damnato non infert: pœna delicti reo non potest non ignominiam afferre. Est enim omnis infamia juris pœna, at non mulcta.

Succedit deinde quarta differentia à causa efficiente principali: nam mulcta proprio mulctantis arbitrio sine omni juris necessitate vel autoritate infligitur: pœna autem reliqua omnis, quæ mulcta non est, sive ea sit capitalis, sive non capitalis, sed pecuniaria, aut alterius alicujus generis, nequaquàm punientis arbitrio mero executioni

doni traditur, ſed legis, SCti, conſtitutionis, conſvetudinis edictive autoritate & jusſu infligitur. Calvin.

MUNICIPES (inquit Gellius lib. 16, c, 13.) erant cives Romani, ex municipiis ſuo jure & legibus ſuis utentes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ullâ populi Romani lege adſtricti, cum nunquam populo eorum fundus factus eſſet. Poſtea abuſivè ſuæ cujusque civitatis cives municipes dicti ſunt, ab eo, quòd munera civilia capiant. Vide Not. l. cit. Thyſi & Oiſeli.

Municipia & *Coloniæ* differunt: Municipia namque ſunt civitates à populo Romano in ſocietatem ſuorum munerum ac honorum receptæ, ſuo interim jure utentes:

Coloniæ verò, quæ ex urbe Româ originem habent.

MUNIFICES vid. *Miles.*

MUNUS interdum ponitur pro *dono*, à quo non aliter differt, quàm quòd donum latius pateat: *Munus* enim dicitur

donum cum causâ, ut natalitium aut nuptiale. Vossius.

Munus interdum aliud nihil est, quàm officium. Huc pertinet illud Festi: *Munus significat officium, cùm dicitur quis munere fungi.* Calvin.

Apud veteres Persas moris fuit, ut Regem absque munere adiret nullus: ac vel tenuiorum munuscula, & quæcunque pro viribus offerebantur, à Rege summa facilitate & humanitate excipi consveverant. Isque mos apud Parthos post Persas devictos mansit. Regi ergò iter facienti pro se quisque omnes munera ferebant. Item primitias eorum, quæ tellus ferret gigneretque, dono dabant: taliaq; Regi Persidem peragranti à singulis, quorum fines pertransiret, apponebantur. Brissonius.

MURICIDÆ Magi Persarum interficiebant mures propter odium, & quod eos ipsorum Deus aversaretur. Abominabantur eosdem Arabes & Æthiopes. Plutarch. de ira & odio. 177.

MURUS. Scal.c.21.L.L. Ex diphthongis illi OE, nos V; *Mœri*, nos *Muri*, ut

ut pœna, punio. Adhuc antiquitatis vestigia remanent in *mœnia*: posteritatis autem in *munus*, munia. Origo autem erat ab οἰ, μοῖρα, rara ſcilicet cujusque civis pars. Quisque pro ſua parte virili tutabatur muros, quos & una conſtruxerat. Ap. Varr. l.5.L.L. *Mœros;* & Lucret. *mœrorum* pro murorum. Vid. Becmann. de Orig. Lat. Ling. pag. 718.

Non abs re erit, illud admonuiſſe, quod Varro muros civitatum ſanctos eſſe docuit: portas autem minimè, eò quòd in urbibus condendis ii, qui murorum ſpatia tauro & vacca præſcriberent, & quaſi delinearent, portarum intervalla metientes, vomerem detraherent, & aratrum transferrent, ut pateret, id tantum ſacrum & inviolatum ſupereſſe, quod exararetur. Eſt enim Urbs, inquit Pomponius ab *urbo* adpellata, *Urbare* autem, aratro definire eſt. Et Varus ait, Urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet. leg. Pupillus 239. §. Urbs. ff. de verb. ſignif. Vid. H. Salmuth. Comment. in Panẽirol. part. 1. tit. 32.

Muri à *Mœnibus* diſtingvuntur. *Murus* pro-

proprie est ambitus urbem cogens; *Mœnia*, quæ à muniendo, aut mœniendo dicta, significant omnem munitionem castrorum, ædificiorum, quorumcunque locorum; neque tam τέιχη sonant, quàm ἕρκη, septa, claustra, propugnacula. De la Cerd. Not. in Virgil. Æn. 2. pag. 180.

MUSCULUS vid. *Machina*.

MUSTUM non solum vinum, verum etiam novellum quicquid est, rectè dicitur. Nonius. Sic piper musteum, caseum musteum, pro recenti Plinius Hist. Nat. dicit.

MUSICA. Infinitus sim, si singulas Musicæ laudes, quibus bonorum auctorum libri referti sunt, recensere velim. Possit pro multis vel unicum hoc satisfacere, si originem ipsius cœlestem esse dicamus. Nam & gravissimi rerum æstimatores, totius Mundi fabricam musicâ proportione consistere putarunt, & motu atque impulsu orbium imparium acuta cum gravibus temperante cœlestem illum concentum & sonum dulcissimum elici. Nec enim cum silentio cœli stelliferi cursus, vel reliquorum globorum distinctam

inter-

intervallis conversionem fieri posse: quam docti homines nervis imitati septem ac cantibus suavitate plenis, ad cœlum sibi reditum aperuerint. Animam quippe nostram harmoniam esse, & proinde sese erigere atque vim suam recognoscere, quoties Musicam tanquam naturam sui similem persenserit. Ipsum quoque Apollinem, cum boves Admeti custodiret, otii pertæsum fabulantur Musicam invenisse, ad mortales derivasse. Ovidius

- *per me concordant carmina nervis.*

Data scilicet est Musica hominibus tanquam lac animæ & gratissimum solicitudinis lenimentum & laborum solatium, atq; remedium ad inducendam humanarum calamitatum oblivionem, quibus vita hæc nostra undique septa deprehenditur. Nam & Plato l. 2. de LL. refert, *Deos laboriosam hominum vitam miseratos, remissiones laborum constituisse: Musas quoque & Apollinem Musarum Ducem, & Bacchum concelebratores adbibuisse, qui cum voluptate tripudia & saltationes nobis ducant.* Quo circa Salomon: *Vinum & Musica*, inquit, *lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ.* Eccl. 40. Hoc

am-

amplius, abalienatos quoque sensus Musica revocat, & malos Genios, qui furiosos sæpissimè cruciant, divina harmonia fugat. Sic enim Saulem furentem malus Genius pulsatâ lyrâ deseruisse dicitur. Et Elisæus coram Judææ ac Samariæ Regibus oraculum editurus, cytharistam acciri jussit: simul enim cum svavitate concentus Numen hausit. At cum Saul à Samuelo initiatus esset, non prius Prophetarum chorus ei cum citharâ occurrit, quàm Numine afflari ac vaticinari cœpit. Bodin. de Republ. lib. 5. c. 1. In tantum enim honoris culmen apud Ethnicos quoque Musica processit, ut non in conviviis duntaxat, & Magistratuum epulis; sed & in sacris & Deorum pulvinaribus ea adhiberetur, ut Athenæus Dipnosoph. lib. 14. c. 11. & Macrobius lib 2. in Somn. Scip. testantur. Et rationem ejus adsignat Natalis Comes lib. 9. Mytholog. c. 7. *non solùm, quia compositos animos sacrificantium, & ad Aras Deorum accedentium esse oportere significabant: cum metro compositæ preces domo essent ad altaria afferendæ: Sed etiam, quia cum Deos corpora cœlestia esse arbitrarentur, è numeris & harmonicis pro-*

portio-

portionibus Deos ipsos constare putarent. Sic igitur per hymnorum & instrumentorum, & saltationum rythmum Deorum naturam imitabantur, atque oblectabantur sacrificantes; & dies festos agentes, conviviis ac Genio indulgentes; Deorumque ipsorum felicitatem aliquo pacto imitantes, pro viribus proximè ad Deorum immortalium naturam accedebant. Non mirum igitur, moris apud Græcos fuisse, ut post cœnam lyra circumferretur, quam cum recusasset Themistocles, indoctior est habitus; Cimonque & Epaminondas, quod fidibus scirent, antelati fuerunt: teste Tullio in Thusculan. Nam, ùt Aristophanes autor est, per *citharæ callentem* Veteribus *homo sapiens* & *Gratiis omnibus ornatus* fuit indicatus; cùm econtrà, qui nullum Musices sensum aut gustum haberet, eundem, vel insensatum esse, vel spiritus discordes & invicem repugnantes habere judicarent. Rectè igitur Cl. Alex. *Musicam à Musis* nomen habere dicit. Quis enim nescit, à veterib. dictos ἀμέσες, quòd non modò à Musicæ, verùm ab omni Musarum commercio alieni qui essent, hoc nomine tanquam probro notarentur? Usque

Usque adeò omnis habitus animæ harmonico concentu gubernatur, ut & ad bellum progressui & item receptui canatur, cantu & excitante, & rursus sedante virtutem. Et quod mirere magis, Lacedæmonii etiam ad lyram, cytharæque sonum acies instruebant, ad eamque modulationem pugnam solebant inire, quo ipso significatum fuit, eos sedatiore animo prælium aggredi consvevisse. Nam & Homerus strepitum & tumultum in congressu primo Barbaris dedit: cum Græcos sensim & tacituros progredi dixerit. Idem ibid.

Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Et apud Comicos, qui literas se didicisse negant, ajunt se non didicisse Musicam. De Musicæ laudibus legito Quintil. lib4.cap.16.

Erat olim peculiaris quædam Musicæ species, quam *Mutam* Veteres nominabant; quòd scil. aquæ sono, solis manuum, vultus, pedum gestibus exercebatur: iidemque & intelligebantur & mirabiliter oblectabant populum, actibus in Scena intermediis. Qui verò artem hanc callerent, *Mimi* & *Pantomimi* appellabantur, ut ex multis

multis auctoribus, singulariter verò è Cassiod. l. 1. Ep. 19. verbis; *Hanc partem Musicæ disciplinæ Mutam nominavêre Majores.* & lib. 4. ep. 51. ejusdemq; aliis locis licet deprehendere. Præter cæteros insignes habebantur (quorum etiam nominatim loc. cit. meminit Cassiodorus) qui digitis quasi gubernantibus, ut Petron. ait, vocem non ore solùm, sed & manibus exprimerent. Talis Mimus apud Claudian. in Paneg. de Mallii Theod. Consul. v. 311.

- - *nutu manibusque loquax*

vocatur. Petronius:

Tinctus colore noctis
manu puer loquaci.

Vide Nonnum lib. 7. Dionys. Manil. lib. 5. Claudian. lib. 2. in Eutrop. Martial. lib. 5. epigr. 19. Sic Plin. lib. 9. ep. 34. *Ipse nescio,* inquit, *quid illo legente interim faciam, sedeam defixus & mutus, & similis otioso? An ut quidam, quæ pronunciabit, murmure, oculis, manu prosequar?* Ceterum ars hæc ivit in fumum, & nec ullum ejus hodie extat vestigium. Id quod magni faciendum haut est: siquidem nullum alium fructum, præterquam delectationem adferebat; quæ

ſanè homini Chriſtiano non magnoperè curanda, ceu piè omninò ſcribit Guid. Panciroll. lib. 1. rer. memorab. deperdit. pag. 258. Notament. in cit. loc. Caſſiod. Ms.

Inſtrumentorum muſicorum tria potiſſimum ſunt genera: I. τὰ ἔντατα ἢ ἔγχορδα, quæ fidibus intenduntur. His enim Ariſtoxenus & Athenæus primas tribuunt, cum quod omnium antiquiſſima ſint, tum etiam, quòd pluſculum artis requirant. II. Τὰ ἐμπνευστὰ, ἢ ἐμφυσώμενα, quæ ſpiritu inflantur. III. Κρουστὰ ἢ ἔγκρουστα, quæ tantum pulſantur. De horum ſingulis legatur Athenæus lib. 4. cap. 38. & lib. 14. cap. 40. Item Julius Pollux lib. 4. cap. 9.

MUTUUM eſt, quod ita alicui damus, ut eandem rem nobis reddat, non in ſpecie ſeu individuo, ſed in genere ejusdem bonitatis: ita dictum, quod meum fiat tuum.

COMMODATUM autem eſt, quod in ſpecie debet reddi, poſtquam alicujus uſibus conceſſum eſt, ſine translato dominio: & dicitur etiam *creditum.* Micræl.

MYINDA, ludus eſt, quo quidam connivens obſervat voces, & quemcùnque

funque suffugientium arripuerit, eum statim connivere cogit. Der Blintzelmans. A μῦς mus: vel quod malim, à μύω conniveo, sive oculos claudo.

N

N. L. His notulis significabatur, probationes & argumenta satis apta non esse ad condemnandum. Vid. lit. A.

NÆNIÆ, arum, vel *Nænia* in singulari, & scribitur plerisque simplici *e*. Erat autem, quod hoc nomine appellabatur, carmen lugubre, quod in funere ante cadaveris sepulturam laudandi gratiâ canebatur ad tibiam, conducta plerumque ad id munus muliere, quam Præficam nominabant, quod tamen locum duntaxat habuisse, quando propinqui deerant, vult Nonius, qui erat, dum Næniam tantum hominibus vilioris sortis decantatam censet, nam & honoratioribus solitam decantari, autor est Cicero lib. 2. de legib.

Sunt qui dicunt, nomen *Næniæ* esse factitium, sumtum à similitudine vocis eorum, qui queruntur & dolent. Beyerl.

NATALIS. Natalitia. Omnium gentium consvetudine tritum est, ut dies illi, quibus quis primam hujus lucis usuram accepit, (qui à Græcis γενέθλιακοί, à Latinis *natales* sive *natalitia* vocantur, item *dies geniales*) præsertim si illustrium sint personarum summâ cum lætitiâ & alacritate celebrentur. Cujus quidem rei causam reddunt, quod rationi consonum videatur, diem illum, quo homo ad Dei imaginem factus, ex tenebroso uteri carcere primum egreditur, & lætam hanc lucem adspicit, superatis materni partus doloribus, lætâ panegyri celebrari, Deoque hilares gratias reddi.

Romani cum suos, tum aliorum & vivorum, & mortuorum dies natales, genitalesve multis cum ceremoniis, sacrificiis atque conviviis celebrare consvêrunt: Id quod ex multis literarum monumentis colligere licet. Virgil. Eclog. 3.

Phyllida mitte mihi meus est natalis, Iola,
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito,

Tibull. eleg. 2. lib. 2.

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras:
Quisquis ades, linguâ vir mulierque fave.

Uran-

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terrâ divite mittit Arabs.

Plautus Captiv. *Quia mihi natalis est dies, propterea te vocarier ad cœnam volo.* Vid. J. Pontan. Colloq. ſacr. 22. lib. 4. in Notis. Nec verò privatum tantum nonnulli dies ſuos natales ſummâ cum lætitiâ ac voluptatibus celebrare conſveverunt; Verum etiam publica & ſolennia quædam fuerunt natalitia, ab univerſo populo celebrari ſolita, in illorum etiam mortuorum honorem, qui de Republicâ benè meriti fuerunt. Id quod Lazius lib. 3. de Repub. Rom. teſtatur, cum inquit: *Apud Romanos natalitia hujusmodi convivia publica fuerunt, atque adeò post mortem etiam (ùt apud nos beneficia ſacra) reditu in hoc pecuniæ locato, memoriæ ejus, qui obierat, retinendæ, conſervandæque cauſâ, celebrata.*

Ipſius quoque urbis Romæ diem natalem, qui fuit 12. Calend. Maji, in quo Romulus augurio capto Urbem aratro deſignaverat, celebrare conſueverunt. Sacra, quæ illo die fiebant paſtorali Deæ Pali, hoc eſt, telluri, *Parilia* dicta fuerunt vel à *pario* quòd pro partu pecudum celebrabantur,

ut vult Varro, quasi *Palilea*, à Pale Deâ, cui illa offerebantur.

Romani similiter Calendas Martias, quòd eo die natum crederent Romulum, qui fundamenta imperii jecerat, ad tantaque rerum incrementa semina dederat, celebrarunt, nec non Nonas Januarias, quòd eâ die Serv. Tullius in lucem editus existimaretur, Alexandri quoque Severi & ejus matris dies natalis magnâ festivitate religiosissimèq; fuit à Romanis cultus, ut testis est Æl. Lampridius. Octav. quoque Augustus Julii natalem maximis honoribus decoravit.

Sic apud Syracusanos Timoleontis natalis publicè cultus, quòd insignes victorias semper suo natali reportârit patriæ.

Soliti etiam fuerunt illis diebus Junonem præsertim & Genium, ceu Deos vitæ hujusce, atque lucis almæ largitores, potissimum colere, unde etiam Natales à Poëtis cognominati. Tibullus:

Natalis Juno sanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.

Idem de Genio:

At tu natalis quoniam Deus omnia sentis.

Beyerl. Sole-

Solebant magnorum & excellentium virorum natales, viventium non modò, honoris; sed mortuorum etiam, memoriæ ac venerationis caussâ, celebrari. Senec. ep. 64. *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt; sed non peregerunt: suspiciendi tamen sunt, & ritu Deorum colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem?* Ubi nota imaginum finem: quas ideò habuisse significat, ut incitarent animum ad amplectendas & æmulandas virtutes illorum, quorum similitudinem exhibebant. Buchn. in Ep. 7. Plin. lib. 3.

NAVIS. Apparatus navium *Classis* dicebatur ἀπὸ τῶν κάλων. *Navis* à Græco νάω *fluo*, vel à Latino *nato*.

Partes navis potissimæ:

Carina pars navis infima. *Prora* anterior. *Puppis* posterior. *Rostra* pars navis primore in prorâ exporrectior, & cunei in modum acutior: nomen habet ab avium rostris. *Tutela*, navis signum in prorâ, unde navis nomen accipiebat. *Oculus*, locus erat, cui navis nomen inscribebatur. *Fori*, tabulata navium aut loca aperta, quæ iter navem perambulantibus præbent.

Pons ſcala navalis, quâ excipiuntur aut in terram exponuntur vectores. *Tranſtra* tabulæ, in quibus remiges ſedent, quæ & *Juga* à Poëtis dicuntur. *Scalmus* lignum teres, cui remi loro alligantur. *Sentina* pars inferior navis, in quam omnes ſordes confluunt. *Nautea* aqua ſordida ſentinæ. *Antlia* machina, quâ nautea è ſentinâ attrahitur. *Malus* arbor navis, quæ erecta vela ſuſtinet. Partes mali: *Calx* mali pars infima. *Carcheſium* ſuprema pars ſive foramen, per quod in ſummo malo funes trajiciuntur. *Antemna* lignum transverſum in malo, quod velum ſuſtinet. *Remi* ſunt perticæ, quæ in palmam quaſi deſinunt, unde & à Poetis *palmæ* vocantur, quibus naves impelluntur & aguntur. Dicuntur & *Tonſæ*. *Palmula* manubrium remi, ſive capulum. *Clavus* navis gubernaculum. *Anſa* ſumma pars clavi. *Anchora* dens ferreus ad ſiſtendas naves. *Rudentes* funes navium. *Pes funis*, quo velum tenditur. *Camelus* funis craſſus, quo nautæ in allegandis anchoris utuntur; vocatur & retinaculum. *Tranſenna* funis extentus. *Velum* linteum quoddam eſt ad navium celeri-

leritatem repertum, quod quasi ala est navis. *Aplustria* navium ornamenta. *Corbita* genus navigii tardum & grande. Naves enim onerariæ loco signi in summo malo *corbes* habebant suspensas; bello paratæ *galeam*, ad celeritatem, Mercurii *petasum*, pacificatoriæ, *Caduceum*. *Celoces* naves breves, à celeritate sic dictæ. *Lembus* navicula brevis piscatoria. *Scaphæ* naviculæ, quæ naves majores conseqvuntur. *Phaselus* navis velox & oblonga lembo non absimilis. *Lintres* naves fluminales. *Paron* & *Myoparon* pyratarum navigia. Plura passim extant. Instrumenta, quorum usus erat in prælio navali. *Harpago* pertica ferro adunco præpilata, quâ navis tenebatur. *Manus ferrea*, harpago ferrea pluribus uncis divisa, quâ naves in conflictu navali colligabantur.

Priusquam peregrè ituri navem conscendebant, litora tangebant, terramque osculabantur. Valer. l. 4. Argonaut.

Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.

Exeuntes quoque è navi gratulabundi & venerabundi terram tangebant osculantes, quo de passim. Hildebr.

Antiquitas etiam hortū muliebrem inter alia nomina *Navim* dixit, ut J. Lipſius libr. 4. Epiſt. q. Ep. 3. rectè obſervavit ex Ariſtophane & Plauto. Eam ipſam partem Julia Auguſti F. Agrippæ uxor, feſtiviſſimè *Navim* quoque appellabat. Roganti namque conſcio libidinum, quâ arte, cùm tam vùlgò ſe vulgaret, liberos tamen ſimilimos produceret Agrippæ, *Non* enim reſpondit, *niſi plenâ navi tollo vectorem.* H. Salmuth. in Panciroll. part. 2. tit. 10.

Naufragium metuentes urgente tempeſtate, ac nulla ſpe certâ ſalutis affulgente, capillos ſoliti erant tondere. Hinc N. Marcellus ait *ſervos, qui manu mitterentur, calvos fieri conſueviſſe, ut ſervitutis, ſic tempeſtatis injuriam viderentur effugiſſe.* Præterea aurum, vel quidquid precioſum penes ipſos erat, annectebant corpori, ut ſi turbo funeſtus, vel exitioſus Aquilo ad latentem ſcopulum navem impegiſſet, ſicque obruerentur, ejecta ad littus cadavera ſepulchrale pretium ferrent. Rationem ſubjicit Syneſius: *Nam quicunque in illud cadaver incidit, lucrumque fecit, leges Adraſtiæ reverebitur, ne non parvam aliquam partem cum eo divi-*

dividat, qui decuplum ipsi largitus est. Fusius hæc Jacob. Durantius Variar. lib. 2. cap. 9. Tom. 2. Critic.

Veteres ad periculum naufragii declinandum, tutelare quoddam Numen in navibus habere solebant. Sic enim apud Virg. Æneid. l. 10. vers. 172.

- *Aurato fulgebat Apolline puppis.*

Et navi illi Alexandrinæ, quâ D. Paulus Romam devehebatur, insigne erat Castor & Pollux Act. 24. v. 12. Nec infrequens erat, è naufragio servatis, ut vestes suas unâ cum tabulâ suspenderent ex voto. Horat. Od. 5.

- *me tabula sacer*
Votiva paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Eædemque tabulæ ante fana in oleastris plerumque affixæ suspendebantur. Illius enim arboris vivacitas tanta putatur, ut si multis configatur clavis, nihil tamen lædatur. Adr. Turneb. l. 8. Adverſ. c. 16. Henr. Salmuth. part. 2. in Panc. tit. 38

NEFARII vid. *Illegitimi.*

NEGOTIATORES non, iidem sunt

ſunt, qui *Mercatores*, ùt vulgò creditur. *Negotiatores* enim dicuntur cives Romani, qui in provinciis ſedem ac domicilium fortunarum ſuarum habent: neque Romam ferè niſi cenſus tempore, hoc eſt, quinto quoque anno veniebant. At

MERCATORES ſunt, qui cum Romæ domicilium familiamque ſuam habeant, interdum ad aliquot menſes in provincias excurrunt, mercium exportandarum causâ. Plura Calvin.

NEMEACUS agon, primùm ab Argivis actus poſt eum, qui ſub Archemoro fuit. Olymp. 53 *Nemea* autem celebrabantur poſt Tlepolemia, quæ agebantur die 24. menſis Gorpiæi.

NOBILES Romæ dicebantur, quorum patres aut majores Magiſtratum curulem geſſerant: *novis hominibus* opponebantur. Fuit autem nomen hoc generale & commune omnium, quorum majores Magiſtratum (ut diximus) curulem geſſerant: ſive ii patritii eſſent, ſive plebei. Poſtea tamen accidit, ut illi nomen generis ſui retinerent, ac ſpeciali & proprio nomine *nobiles* dicerentur, qui plebeiæ gentis

cum

essent, majores tamen curulibus magistratibus honoratos habuerant. Calvin

Domi nobilis est, qui extra patriam vulgo nobilis non habetur. *Nobilis ubique*, qui legibus & moribus gentium ubique nobilis habetur, ut qui Regibus aut aliquo antiquo sanguine sunt procreati. Rader.

NOBILITAS non generis est tantùm, sed etiam alterius rei excellentia, dignitas, item fama, nominisque celebritas. *Nobilitatis* tria sunt genera: *Unum*, quod ex virtute ex optimis actionibus nostris oritur. *Proximum*, quod ex cognitione honestissimarum disciplinarum proficiscitur. *Tertium*, quod ex opibus, aut natalium picturis & majorum stemmate æstimatur. Quod ultimum nullum omninò erit, nisi à virtute fuerit profectum. Calvin. Juven. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, Nobilitas sola est atque unica virtus.

Et Lycus apud Senec. in Herc. Fur. act. 2. Scen. 3.

NOBILIA à priscis dicebantur ea loca, quæ in metandis castris omninò vitari debent: scilicet, ne mons castris immineat,

neat, per quem supervenire hostes aut perspicere possint, quid in castris agitur: ne sylva celatura hostes adjaceat; neve fossa seu valles, per quos obruti castris occumbere possint: ne vicini fluminis torrentisve subita tempestate castra inundatione intereant. Autor Higinus in Grammat.

NOMENCLATORES sunt, qui nominatim singulos appellant, ut puta in foro reos: in convivio convivas. Olim enim convivæ postquam accubuissent, numerabantur per eos, quibus id muneris datum erat, qui γυναικονόμοι appellabantur.

Illi autem numeratores vocantur Latinis propriè *Nomenclatores*, de quibus Ammianus Marcellinus, quòd soleant nonnunquam mercede acceptâ cœnis aut prandiis inserere subdititios ignobiles & obscuros.

Itaque numerabant, & quemque suo nomine appellabant *Nomenclatores*. Atque ob id Magistratuum candidati, hujusmodi homines secum ducebant, qui singulorum nomina illis indicabant, quo singulos proprio nomine, quod illo ævo honorificum erat; salutarent ad fa-

torem & ſuffragia civium aucupanda.

Etiam in exercitu Imperatores eos adhibebant ad militum nomina cognoſcenda, eorumque favorem conciliandum.

Porrò de Nomenclatoribus ita ſcribit Guido Panciroll. Libello de reb. memorab. Habebant Romani ſervos quosdam, qui ſingulos cives Romanos diſcerent cognoſcere, & horum nomina memoriâ tenere, quæ prout quisque obvius fiebat, Dominis ſuis Candidatis, ſeu Magiſtratum aliquem ambientibus, ſervi illi ſuggerebant, ut ſuo quemque nomine compellare poſſent Domini, atque ita benevolentiam obviantium captarent. Nam ut Plutarchus ait, majori voluptate afficitur, qui ſuo ſe nomine compellari audit, ejusque animus appellanti magis conciliatur. Servi iſti Nomenclatores appellabantur, quorum Cicero in Oratione pro Murænâ meminit, dum ipſum quoque M. Catonem ait, Nomenclatorem habuiſſe, qui Civium obviam factorum nomina ipſi inſuſurrârit. Idem enim frequenti in uſu erat Candidatis Magiſtratum ambientibꝰ, qui poſteaquam erant deſignati, multò ſalutabant negligentius. L. Beyerl.

NOMINALIA, dies, quo puero nomen imponebatur. Ita vocat Tertullianus lib. de idolatr. Gloss. Phil. Imponi autem nomen apud Græcos solet fere die septimo, ut Aristoteles ait in 8. hist. animal. Apud Athenienses die decimo, ut ex Isæo & Demosthene colligit Petrus Faber lib. 1. Semestr. cap. 6. Apud Romanos maribus nono, fœminis octavo die nomen dabatur: cujus causas afferre conatur Plutarchus. Vossius.

Græcorum consvetudo fuit, quam plerique etiam hodie tenent, ut patris sui nomen alicui ex filiis suis imponant: quò avorum in nepotibus memoria renovetur. Sic Aristoteles Nicomachi filius filium suum Nicomachum vocavit. Romæ autem fere, qui primus filius susceptus erat, ei patris prænomen imponebant. Muret. in 1. de Rep. Plat.

NONÆ vid. *Calendæ.*

NOSOCOMIA sunt, in quibus recipiuntur ægroti;

ORPHANOTROPHIA, in quibus orphani minores, omnibus destituti subsidiis;

XENODOCHIA, quibus advenæ ægri;

GERONTOCOMIA, quibus pauperculi senes recipiuntur & sustentantur.

NOTA. Animadversio Censorum propriè dicebatur *Nota*, & ipsi *notare*. Exempla habes apud Sveton. Claudio c. 16. quo de censurâ ejus exponit, & Gellium libr. 4. cap. 12. & 20.

Notabant autem Censores I. *Senatores*, remotione à Curiâ. II. *Equites* ademtione equi publici. III. *Plebeios*, cum aut moverent tribu, aut jure suffragii privarent, atque ærarios facerent. Ascon. Pæd. in Divinat. Ciceronis: item pro Milon. A. Buchner. in Epist. Plin. 13. lib. 9.

Notæ frequentius pro signis minutis ponuntur, verbum unum totum exprimentes, ad celerem scriptionem olim inventæ apud Romanos ab Ennio; auctæ à Tertio Persannio, Philargio & Aquilâ libertis Mæcenatis, deinde & à Senecâ ad quinque millia, si Isidoro credimus. Nam Eusebius inventionem ad Tyronem Ciceronis libertum refert, suffragante Plutarcho in Catone minore, imò ipso Isidoro, parùm con-

ſtanter; niſi quod reſtringat ad notas propoſitionum, quas vocat. Apud Græcos verò, Xenophontem, Socratis auditorem primum excepiſſe notis, quæ ab eo dicerentur, & in publicum edidiſſe, Laërtius, in ejus vitâ, refert: Cùm de *notis* audit juventus, non ad literas referre debet, quæ ſingulariter poſitæ, hoc aut illud verbum notant; cujusmodi quoque hodie diverſæ in veterum ſcriptis prohibent JCti, qui exertè notas à literis diſtinguunt. Paulus L. Lucius D. de teſt. mil. *Lucius Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictavit, & anteaquam literis præſcriberetur, vitâ defunctus eſt.* Idem L. 6. D. de bonor. poſſ. *Notis ſcriptæ tabulæ non continentur edicto, quia notas literas non eſſe Pedius lib. 25. ad edictum ſcribit.* Vid. Joh. Bernart. Comment. ad 1. Silvar. pag. 14.

Solebant veteres inter legendum ad libri oram *Notas* quasdam appingere, quibus indicarent, quæ ipſis loca notatu & obſervatione digna, vel etiam corrupta, aut vitioſa, aut etiam improbanda viderentur. *Laudis* nomine *Laudabilia* Gellius libr. 17. cap. 2, denotat, quorum nota duplex L apud

pud Latinos fuisse videtur. Unde apud Paullum Diaconum, in Notis Liter. LL. *Laudabiles loci.* Alibi etiam est L. *Sent. Laudabilis sententia.* Græci notam literæ χ apponebant, quæ significabat χρηστὸν, sive χρήσιμον. Unde Diogenes Laërtius in Platone: χ περιεστιγμένον πρὸς τὰς ἐκλογὰς τῆς καλλιγραφίας λαμβάνεται. Et Cassiodorus 1. de Divin. lection. *Ticonius Donatista in eodem volumine quædam non respuenda subjunxit, quædam verò venenosa dogmata juri permiscuit, Cui tantum in bonis dictis Chresimon, in malis Achreston, quantum transiens valui aperire, ut arbitror, competenter adfixi.*

Ἄχρηστον quod Græci adscribebant ad ea, quæ improbabant, Gellius *culpæ adnotamenta* loc. cit. vocat. Ut enim *laudis* nomine Laudabilia, ita *culpæ* contraria significat. Sic Auson. Ludo sept. Sapient.

Palmas non culpas esse putabo meas.

Idem ad Theodosium Imperat.

Inque tuis culpis tu tibi da veniam.

Horatius de Arte Poëticâ;

Vir bonus & prudens versus reprendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transverso calamo signum - -

 Arguet

Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus.

Ubi Acro: *Notam culpæ significat. Nam notare versum malè formatum dicimus.*

Unde & Gellius lib. 19. cap. 10. *deculpatum verbum* dicit, pro rejectitio, & *culpæ notis* compuncto ac damnato. *Culpæ nota* utplurimum erat *Obelus id est virgula jacens, apponitur in verbis aut sententiis superfluè iteratis, sive ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagittâ juguletsupervacua & falsa jugulet.* Unde Quintilianus *virgulam censoriam* vocat. Sed ad eandem rem etiam litera θ adhibita. Sidonius Apollinaris:

Isti qui valet exarationi
Distinctum, bonus, applicare Theta,

Persius Sat. 4.

Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.

Quod ad exemplum judicum factum videtur, qui, ut notat ibidem Vetus Persii Scholiastes, *literam θῆτα apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt.* De hujusmodi similibusque Veterum Notis plura vide sis apud Wouvverum de Polymathiâ cap. 17. & Th. Reinesium Variar. Lect. lib. 3. cap. 7. Not. in Gell. lib. 17. cap. 2.

Tacitis

Tacitis notis scribere, est rem ita per picturam exprimere, ut non indigeat characteribus ∴ ut si velis significare, manendum esse mulieri domi, pingis Venerem, quæ referat muliebrem sexum, apponisque sub pedibus testudinem: hæc enim nunquam domo sua egreditur. Hoc scripturæ genus non solum apud Ægyptios dignitatis plurimum habuit; sed etiam voluptatis non parum. Nemo enim poterat callere Hieroglyphicarum mysterium [sic enim vocabant illi hoc scribendi genus] nisi rerum & animalium naturas perspectas habuisset. Quod non contingit, nisi illi, qui solerti contemplatione rerum naturalium causas esset perscrutatus. Vid. Comment. Francisc. Sanctii in Alciat. Emblem. Præfat.

NOTARII. Tres erant Notariorum ordines: alii *Tribuni & Notarii*, ut sæpe apud Marcellinum, Symmachum, aliosque appellantur, honore Tribunis Prætorianis æquati; alii *Domestici* vocabantur, quod Imperatoris essent à secretis, cujus arcana scribebant. Ultimus ordo erat *inferiorum Tribunorum Notariorum.* Notam.

Manuscript. in Cassiodor. Epist. 4. libr. 1.

NOTHI & *SPURII* eo differunt, quòd *illi* certum patrem nominare possunt, ùt qui è concubinâ nascuntur; *hi* non possunt, eò, quòd è muliere se pluribus prostituente, sive, ùt Lucretius loquitur, *volgivagâ Venere*, sint concepti. Voss.

NOVENDIALIUM Sacrorum consuetudinem inde natam tradit Cœlius lib. 17. cap. 21. quoniam moris ethnicorum fuerit, diebus novem mortuos flere. Dupliciter verò *Novendiale Sacrum* actum est apud Romanos, uno modo, cùm defunctis parentabant, seque lustrabant: Altero, cum prodigium aliquod accidisset, quod novendiali sacro expiare solebant. Ita verò perficiebatur, ùt doctis placet: Novem dies assiduè Deis sacrum faciebant, quod sacrum indici solebat vel à Pontifice Maximo, vel à Prætore urbano Senatus decreto, prout tradit Gyraldus histor. Deor. Syntag. 17. Calvin.

Quæri potest, cur *dies nonus* sacer sit mortuis, & habitus in tanto honore? Alii aliter satisfacient. Mihi visum, non ineptè dici posse, factum hoc cum respectu ad

ad *diem lustricum* puerorum. Sicut enim die nono pueris imponebantur nomina, non ante, quia die nono fiebant sacra, pari mensurâ temporis. Cerd. in Æneid. 5.

NOVI homines dicebantur apud Romanos, qui nullis majorum imaginibus & nobilitate commendabantur, aditumque ad amplitudinem & nobilitatem posteris suis patefecerant: ut M. Cato Censorius, qui patre ignobili natus, ipse novus posteritati suæ nobilitatem reliquit: quemadmodum & Cicero de lege agrariâ loquens seipsum appellat *hominem novum*.

Novitas itaque media erat inter *Nobilitatem* & *Ignobilitatem*. Plutarchus in Catone Majore novos homines appellatos scribit, qui non ex genere commendationem haberent, sed ex se primum cognosci inciperent. Prat. Calvin.

NOX, tempus, quo Sol sub horizonte latitat, & nos radiis ejus subtractis versamur in tenebris.

Noctem Macrobius in XI partes dividit, ceu sunt 1. *Vespera* seu serum diei. 2. *Crepusculum* seu prima fax. 3. *Concubium*. 4. *Nox intempesta*, quæ non habet tempus commodum

modum rebus gerendis. 5. *Media nox*. 6. *Inclinatio noctis*. 7. *Gallicinium*. 8. *Conticinium*, quando Galli iterum conticescunt. 9. *Diluculum*, cùm dignosci incipit diei lucula seu crepusculum matutinum. 10. *Aurora* seu Eos. 11. *Mane*, quando emanat dies. Micræl.

Sic etiam noctem Romani in castris in *quatuor vigilias* dividebant. Quia enim impossibile videbatur, ut ait Vegetius lib. 3. de Re milit. cap. 8. in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideò in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius, quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Et hinc illæ formulæ apud Historicos: *Primâ*, *secundâ*, *tertiâ* &c. *vigiliâ*. Consulendus Lipsius lib. 1. de Mil. Rom. dial. 9.

NUBENDI verbum, quod nunc Latini sermonis usus proprium fecit fœminis, unde & *nuptiæ* dicuntur, olim erat viris fœminisque commune. *Obnubere* autem Veteres dicebant, obtegere sive obsolvere, quòd olim nupturæ caput flammeo obtegeretur: Sive, quemadmodum Paulus Apostolus interpretatur, ut admoneretur, quòd iret in potestatem viri; sive

pudo-

pudoris gratiâ, quemadmodum sentit divus Ambrosius tractans de conjugio Abrahæ. lib. 1. Calvin.

Refert in quâdam epistolâ Æschines usitatum fuisse in Troade regione, ut virgines, quæ nuberent, ad Scamandrum fluvium accedentes, seseque abluentes, hoc quasi sacrum carmen accinerent, λάβε μοι Σκάμανδρε τὴν παρθενίαν, *accipe Scamander virginitatem meam.*

Inauspicatum Romæ existimabatur, mulieres Majo mense nubere: sive quòd eo mense umbra Remi occisi à fratris Celere creditur apparuisse nutritio suo Faustulo, atque Accæ Laurentiæ, mandasseque, ut manibus suis justa persolverentur. Unde & Romulo Auctore, Festa *Remuria* dicta, posteritas mutatâ literâ *Lemuria*, velut à *Lemuribus* appellare cœpit. Et umbris majorum his diebus parentari solitum, atque ob id dies illi inter feriales habiti, ac nuptiis nefasti. Ovidius in Fastis:

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de causâ, si te proverbia tangunt,
Mense malas Majo nubere vulgus ait.

 Plut-

Plutarchus in Probl. Rom. alias quasdam causas refert, vel quod medius intercedat inter Aprilem, Veneri sacrum, & Junium, Junoni dicatum, quarum utraque Dea nuptiis præsidet: proinde propter auspicium Deæ, aut maturantes paulum nubebant Aprile, aut pusillum proroganes Junio. Vel propter funesta quædam piacula, quibus per id temporis utebantur Romani, hominum effigies de ponte in Tiberim præcipitantes, cum antea Græcos consvevissent. Atque ob id Flamminicam Junonis sacerdotem, quasi luctum illis diebus agere, nec ullo solemni cultu solitam uti. Vel quod Majus à natu majoribus, Junius à junioribus denominatus esse videatur. Erasm. in Chiliad. Beyerl.

Nova nupta non attingebat limen, cùm ducebatur domum sponsi, sed ingressura tollebatur, ac si raperetur. Et quidem hoc fieri cum respectu ad raptum Sabinarum, liquidum ex Optato, apud quem nova nupta in altum tollebatur, ne limen contingeret, & addit rationem, *ut invita virginitatem amittere videatur*. Verum est moris hujus duas alias adduci posse rationes

nes, Servii unam, J. Scaligeri alteram. Verba Servii 8. Eclog. ad illud,

Mopse novas incide faces,

hæc sunt: *Varro in Ætiis dicit, sponsas faces praire, quod antea non nisi nocte ducebantur ab sponsis. Quas ideò etiam ait, limen non tangere, ne à sacrilegio inchoarent, si deposituræ virginitatem calcent rem Vestæ, id est, Numini castissimo consecratam.* Videlicet limen, quod sacrum Vestæ. Scaligeri hæc lib. 3. Poët. cap. 101. *Jam illud, nunc quoque aliquot Italiæ locis servari vidimus, ut egrediens paterna domo nupta pedem tollat, néve attingat limen. Ei rei diversas causas assignarunt: mihi illa propior verò videtur, ne Magicis pharmacis lædi posset, quæ sub limine ad destruendam conjugum vel concordiam, vel vim genitalem, defodi solent à veneficis.* Vid Cerda Not. in Æneid. 8. pag. 254. Plura in voc. *Nuptiæ*.

Moris etiam erat, ut novæ nuptæ, quando ad domum mariti deducebatur, colus comta cum fuso & stamine præferretur. Plinius lib. 8. cap. 48. *Lanam cum colo & fuso Tanaquil, quæ eadem Cicilia vocata est, in templo Sangi durasse, auctor est M. Varro, factamque ab eâ togam regiam undulatam in æde Fortu-*

Fortunæ, quæ Servius Tullus fuerat usus. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta cum fuso & stamine. Schol. Bernarti ad 4. lib. Thebaid.

Nupta verba dicebantur ab Antiquis, quæ virginem dicere non licebat. Festus. Plautus Discolo: *Virgo sum, nondum didici verba nupta dicere.*

NUMEN à *nutum, nuo.* Ab Ethnicis *Numen* refertur ad Deum, non malè; notantibus sic virtutem ac potestatem divinam, ut quâ vel nutu ac nictu omnia, quæ velit, citissimè digerat atque perficiat Fest. Becman.

Numen est Deorum potestas. Itaque unus Deus plura habet numina, id est, plures potestates. Juno certè octo, ut minimum, quæ Lilius commemorat. Id etiam satis indicat versiculus Ovidii in Ibim:

Si de tot læsis sua numina quisque Deorum
Vindicet.

Et verba Arnobii lib. 2. Ut enim Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates: neque eorum ab aliquo id, quod ejus non sit potestatis ac licentiæ, postulatis. De la Cerda Comment. in 1. Æn. pag. 6.

NUMERUS. Nolebant veteres in rebus suis certum numerum signare; nam hic expositus invidiæ, sugillationi, fascino. Itaque ad avertendos cavillos, dicebant *multa*. Quin, quod mirere, de re adhuc una dicebant etiam *multa*. Varro de Ling. Latin. Olim unum dicebant multa. Itaque cum in dolium, aut culeum vinum addunt rustici, prima urna addita, dicunt etiamnum, Multa.

Inde credo, ductus mos gentium, frequenter enim centenarium, aut millenarium numerum assumebant pro quovis, ut ipsa multitudine falleretur invidia. Catullus aperte ad hunc morem Epigram. 7.

Quæ nec pernumerare curiosi
possint, nec mala fascinare lingua.

Vide Joan. Lud. de la Cerda Not. in Virgil. Æneid. x. pag. 518.

Numerus par apud veteres sacer erat mortuis, & semper infelix. Virgilius lib. 10. Æn. vers. 513. seq.

Quattuor *hic juvenes, totidem quos educat Ufens,*
Viventes rapit, inferiis quos immolet umbris.

Ita in 6. Æn.

Quat-

Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos.

Et in 3.

Hic duo ritè mero libans charchesia Baccho
Fundit humo, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Ad Patrocli funus Achilles Iliad. 21.

Vivos ex fluvio duodecim delegit juvenes
Pœnam Patrocli Menœtiadæ mortui.

Notum est, Februarium, cui pares dies, sacrum inferis. Apud Herodotum lib. 3. decernitur, ut pro singulis Persarum interfectis, *decem* interficerentur ex principibus Ægyptiorum. Cerda loc. cit.

NUMMULARII, teste Budæo, qui nummis permutandis incumbunt, nos *campsores* dicimus, inquit, qui pecuniæ permutationem exercent. Eratque olim vilius, quàm argentariorum officium, qui ampliorem negotiationem exercebant.

Horum frequens érat copia apud Judæos, sicut etiam in templo illo Ierosolymitano Nummularii invenirentur, quo paratior esset negotiatio animalium offerendorum, nam illi minutiore, & ad usum

accom-

accommodatâ pecuniâ majorem permutabant, aut aurum argento, aut peregrinam ejus loci monetam.

Olim quoque Romæ hujusmodi hominum colluvies menſas ſuas habebat, eidem exercitio deſtinatas, pone ædem Caſtoris, in quâ pecuniæ depoſitæ recondebantur. Habebantque ſua tabernas menſasque argentarias circum forum etiam, unde *æs circumforaneum* Cicero appellat. Beyerl.

NUNCUPATA Vota Sexto Pompejo de V. S. Cincio l. 2. de offic. JCti, quæ Conſules, Prætores, cum in Provinciam proficiſcuntur, faciunt. Ea in tabulas præſentibus multis referebantur. At Santra, ut ibidem extat l. 2. de verbis antiquis, ſatis multis collegit, nuncupata *non directò nominata* ſignificare; ſed *promiſſa & quaſi teſtificata, circumſcripta, receptaque*, quod etiam in votis nuncupandis eſſet frequentius. Dicitur etiam

Nuncupata pecunia, quam ibidem Cincius exponit *nominatam, certam, nominibus propriis pronunciatam.* Item

Nuncupatum Teſtamentum, quando tabulas teſtamenti teſtator tenens ita dicit: *Hæc,* uti

uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita lego, ita do, ita testor: Itaque vos Quirites testimonium perhibetote! Quæ *nuncupatio* & *testatio* vocatur. Consulendus Sigonius l. 2. de jure antiquo Provinciarum c. 4. Virdungus. Videsis & Torrentium ad Horatium lib. 4. Carm. Od. 2. sub f.

NUNDINÆ dicuntur à *nono die*, quasi *Novendinæ*, quod hoc die fuerint celebratæ.

Nundinæ, inquit Macrobius lib. Sat. 1. c. 16. primum à populo Romano institutæ sunt, inquit Rutilius, ut octo quidem diebus Rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent. Porrò si quid suffragiis pop. Roman. ferendum erat, id per ternas nundinas recitabatur ac promulgabatur. Id tempus trinundinum & duobus vocabulis trium nundinum dicitur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur. Calvin. Vid. Gell. lib. 20. cap. 1. Notasq; ibi.

Translata deinde vox ad celebres mercatorum conventus, immunes, liberosque.

NUPTIÆ, matrimonium, connubium, conjugium, conjunctio maris & fœminæ, omnis vitæ consortium continens, Græc. γάμος. Hebr. *Chatunnah*, à verbo *chatan*, *affinitatem contraxit*, *propinquitatem inivit per desponsationem*, ut cum duæ cognationes & familiæ, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem appropinquat.

Dictæ sunt etiam *nuptiæ* Hebræis à voce *cipaph*, *obtexit*, *velavit*. Unde & Latinis à *nubendo*, *velando*, *obtegendo*. Nova enim nupta olim dum viro suo tradebatur, præ pudore caput obvolvebat. Hujus autem ritus antiquissimi exemplum habemus Gen. 24. ubi narratur *Rebecca obtexisse caput pallio suo, quasi flammeo, pudoris & honestatis causâ; dum primùm veniret in conspectum Isaac sponsi sui.*

Usurpatur autem communiter *nuptiarum* vox pro conjugio ipso viri & fœminæ sive matrimonio: quamvis alii pro convivio nuptiali sive sponsalitio accipiant. Unde dicimus, *celebrare nuptias: vocari ad nuptias.* Quomodo etiam Christus in Cana Galilææ scribitur vocatus ad nuptias

cum matre suâ. Imò & pro loco nuptiis celebrandis destinato. Matth. 25.

Apud antiquos non solùm publicè, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumto. Quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur; qui quamvis auspicia petere desierunt, ipso tamen nomine veteris consvetudinis vestigia usurpantur. Val. l. 2. c. 1. *Etenim ipso sponsaliorum die, signatoribus & auspicibus duobus nuptias castas & legitimas auspicabantur noctu, nonnunquam die, luce primâ: in quo id cavebatur imprimis, ne motus cœli aut terræ fieret, neve turbatiore cœlo & die inquieto fœdus inirent. Hæc enim præcipuè nuptiis adversari putabant.* Optima auguria à turture & cornice: ita verò demum, si par integrum apparuisset. Singulares autem vidisse, pro pessimo habebatur. Idcircò in ritibus antiquis ait Orus Apollo tenuisse consvetudinem, hæc ut verba in nuptiis accinerentur, ἐκκόρει κόρη κορώνην· quibus ex felici domo cornix singularis, id est, vidua ut exigeretur, ancillæ imperabatur. Sanè utrumque animal adeò sui conjugis studiosum, ut eo morte affecto, superstes nul-

lius

lius appetat præterea conjunctionem. Cornix verò adeò casta, ut nullam coitus persequi fœditatem, ore concipere credita sit. Qui tum pro marito auspicabatur *auspex*, idemque *paranymphus*: qui pro uxore, *pronuba* dicebatur, quæ uni semel nupsisset. Alex. & Scalig.

Proteleia, quasi *Præparatoria* dicas, diem appellant, quâ nuptam virginem parentes in arcem ducunt ad Deam & victimas ob conjugium, quod & τέλος, dicitur, immolant. Svidas.

Post auspicia sacra faciebant, porcumque Junoni, deducto ex Hetruriâ more, immolabant: quam τελείαν fas erat nuncupare. Præterque eam invocabant Jovem τέλειον, Venerem, Dianam Cinxiam, Svadelam, τέλος veteres ajunt idem fuisse, quod & γάμος: propterea, quòd humanæ vitæ perpetuatio nuptiarum merito perficeretur. His Diis Deabusque comæ partem virginis tanquam primitias offerebant. Hostiæ verò exemtum fel circa aram projici solitum: cæteræ partes adoleri, quod expectationem faceret futuræ inter conjuges tranquillitatis. Scalig. Beyerl.

Nuptiæ ex superstitione veterum, ne fieri possent, prohibebantur his de causis: *Introiit in ædes ater alienus canis, Anguis per impluvium decidit de tegulis, Gallina cecinit,* &c. Terent. Phorm. Act. 4. Scen. 4. Et *alienus canis* intrans ædes, significabat adulterum, qui lectum connubialem conspurcaret: *Anguis per impluvium* immissus veneni præparationem, quod alteri conjugatorum alter exhiberet: *Gallina canens*, maritum perditurum imperium virile, & jussibus uxoris auscultaturum. Marsus.

Ideoque etiam animalia hæc θηεία δυσκλυδώνιςα vocabantur, quæ ne nominari quidem sine malo omine poterant. Equidem superstitio etiamnum multos invasit, ἀπράκτους fore dies, in quibus fors domo exeuntes intestabili alicui occurrerent, vel abscisso, aut coxa pedeve claudo. Augustinus de doctr. Christ. lib. 2. cap. 20. multa de vana multorum superstitione dicit. Lindebrogius.

Nuptiales Dii quinque erant, qui potissimùm operam suam dabant in hac re, reliqui ex accidenti quodam, nempe Jupiter, Juno, Venus, Petho, Diana. Hi pro-

prie

priè γαμήλιοι & τέλειοι. De la Cerda Not. in Virgil. Æn. 4. pag. 383.

Nuptiis copulandis Calendas & Idus religiosas, id est, devitandas Romani censuerunt. Hi enim dies feriati sunt. Feriis autem vim cuiquam fieri, piaculare est. Ideo tunc vitantur nuptiæ, in quibus fieri vis virginibus videtur. Sed Verrium Flaccum, juris Pontificii peritissimum, dicere solitum refert Varro, quia feriis tergere veteres fossas liceret, novas facere jus non esset: Ideò magis viduis, quàm virginibus idoneas esse ferias ad nubendum. Nonæ feriatæ non sunt, & tum neque ipsæ nuptiales. Nam quia primus nuptiarum dies verecundiæ datur: postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportet adipisci, & rem facere divinam: omnes autem postriduani dies, seu post Calendas, seu post Nonas, inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut posterâ die libertatem auspicaretur uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari. Macrob. lib. 1. Saturn. c. 16.

Deductio sponsæ. Apud Romanos, teste Festo, prætextati pueri, patrimi & matrimi,

id est, qui patrem & matrem haberent, nubentem ducebant, unus, qui facem ex albâ spinâ (de quâ Plin. l. 16. c. 18.) præferret, (nam noctu, ut ait Plut. in Problem. nubebant,) duo, qui sponsam manu tenerent: & ea fax in Cereris honorem præferebatur, (ut quemadmodum Ceres mortales alit, quæ terræ mater ac cunctarum frugum creatrix habetur: ita nova nupta materfamilias pòst facta, filios nutriret) puerorumque & puellarum cantibus inter se respondentium ea deductio celebrabatur: *O hymen hymenæe, hymen hymen hymenæe.*

Græcis nubentium matribus tenere facesin nuptiis negotium datur, quod δαδουχεῖν dixêre: simulque carmina & Fescenninos versus, atque sacrum hymnum, quem *Epithalamium* vocant, decantare; atque in his quinque Deos precari solebant, ut novæ nuptæ volentes & propitii adessent, prolemque fœcundarent, Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Dianam & Svadelam. Namque hæc Numina conjugiis præesse putabant. Alex.

Tribus modis apud Veteres nuptiæ fiebant: *Usu*, si, v. g. mulier anno uno cum

viro,

viro, licet sine legibus fuisset: *Farre*, cum per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur, unde *Confarreatio* appellabatur, in quibus nuptiis *Patrimi* & *Matrimi* appellabantur: *Coemtione* verò, atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis justum alteri faceret. Plura in vocab. COEMTIO.

Athenis Atticis mos erat in nuptiis, puerum aliquem puberem, cuive uterque parens superstes esset, patrimum, matrimum, spinis & glandibus quernis coronatum, circumferre vannum panibus repletum, ac dicere identidem: *Effugi malum, inveni melius.* Docet proverbium, agrestem ac priscum victum missum factum, reperta frugum esca mansvetiore. Zenob. Adag. cent. 3. proverb. 98.

Mos fuit, ut sponsæ ipsis, qui sponsum attinebant, proximisque suis, vestes donarent tempore nuptiarum. Eustath. Odyss. ζ.

Munera, quæ postridie nuptiarum data

à sponsæ patre genero suo, cujusdam pompæ specie, Græcis sunt ἐπαύλια δῶρα. Præcurrebat enim puer candida toga facem gestans ardentem, post illum canistrifer, & mox longa series apportantium aurum & pelves & reliquam suppellectilem interdum & dotem, comitabatur. Willich. in Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 1.

Boni ominis causâ, & aucupandæ felicitatis affectatione institutum apud veteres erat, ut nova nupta curru vecta traduceretur: quod Hesiodus, sive is Aristophanes Grammaticus fuit, Scuto Herculis ita describit:

Hi curru invectam geniali virginem amanti
Traduxêre viro, passimque Hymen Hymenæus Excitus cantu.

Eo verò nuptiali curru tres tantùm vectari solitos, Sponsam, quæ sederet in medio, Sponsum & Parochum, Pausanias tradit. Parochum eum nimirũ intelligens, quem nos hodie anuli maritalis Compatrem appellamus. Pierius Hierogl. libr. 43. c. 19.

Ritus hujus originem Pierius loc. cit. cap. 18. sic describit: Tarquinius cognomento Superbus, cum adhuc Romæ regnaret,

gnaret, & Jovis Capitolini templum pene absolvisset, currum quendam fictilem Thuscis quibusdam ex Vejorum gente figendum locaverat, quem cum jam confectum figuli in fornacem intulissent, non ut reliqua fictilia humore expresso exilior evasit, quàm impositus esset: sed fermentati panis instar intumuit, eoque magnitudinis concepto robore duritiaque increvit, ut vix sublato fornacis culmine, parietibusque disjectis, educi potuerit. Consulti super hoc aruspices responderunt, apud quos ejusmodi currus asservaretur, felicitatem & imperium iis portendi.

Rapi virgo simulabatur apud Veteres ex gremio matris, aut, si illa non superesset, ex proximâ necessitudine, tum viro tradebatur: quòd ea res Romulo feliciter cessisset, ùt refert Sext. Pompejus libr. 16. Ad quæ respexit Virgilius, ubi, nullo præeunte exemplo, inquit lib. 8. Æneid.

Raptas sine more Sabinas.

Pudicæ matronæ, & quibus pudicitiæ gloria curæ erat, semel tantùm viro nubebant: itaque nuptiis quoq; in auspicium, & votum singularis matrimonii pronubæ

capiebantur univiræ. Meurſ. in Mantiſſa cap. 10.

Memorabile ſanè veterum Germanorum inſtitutum fuit, uxori ducendæ boves junctos, frænatum equum, & ſcutum cum frameâ gladioque mittere dotis nomine, ut uxor, ait Tacitus, venire ſe laborum, periculorumque ſociam his incipientis matrimonii auſpiciis admoneretur, idem in pace, idem in prœliis paſſuram, auſuramq;. Laborem enim, juncti boves, bellum paratus eqvus & data arma denunciabant. Vid. Pier. Hieroglyph. lib. 3. cap. 22.

Nova nupta ſponſusque veteri ritu vinculis jungebantur, vittâ nimirum quadam amiciebantur, quaſi viderentur eidem jugo annecti: fiebat id ante aram *Junonis Jugæ*, quæ ſic dicta, quod nubentes conjungeret. Græci Ζυγίαν à *jungendo* vocant. Martianus *Socigenam* appellat, quod nubentes aſſociet. Alex. 2. Gen. cap. 5. Vide de la Cerda Not. in Æneid. Virgil. 4. pag. 374.

Quod verò novam nuptam Veteres in pelle lanatâ conſidere jubebant, vetuſtum referre morem videtur, quod id veſtimenti olim uſui fuerit. Sed illud magis veriſimile

mile, quod hoc gestu adductas, se ad præstandum lanificii operam marito pollicere viderentur. Nam ad hæc usque tempora plerisque Italiæ locis, postero quam nova nupta mariti domum ingressa est die, illi è geniali thalamo mane prodeunti obviam propinqui fiunt, colum, fusum & lanam, acum & forficem, rutabulum, peniculum, quodque cuique in promtu fuerit instrumentum, omneque vas domesticum offerentes: quo ea muliebris haud ignara officii, se non ad delicias & voluptates, sed ad faciendam lanam, & alia, quæ frugi sint, curanda, venisse reminiscatur. Idem lib. 10. cap. 24.

Tibicinem adhiberi in nuptiis, testimonio est illud Plauti in Aulul. loquentis de nuptiis Megadori & filiæ Euclionis:

- *Præterea tibicinam,*
Quæ mihi inter bibere sola, si vino scateat,
Corinthiensem fontem Pirenem potest.

Idque non solùm apud Romanos, sed & apud alios. Nam cùm Philippus Macedo, Alexandri M. pater, nuptias ageret, acciti tibicines carmen Cyclopeum, quasi de colludio, concinuisse traduntur, quod omen

ei

ci fuit oculi dextri apud Methonem amissi, ut tradit Solinus c. 14. aut ut alii dividunt, 15. Cyclopes enim unoculi esse traduntur, ut videre licet apud Homer. l. 9. Od. Tiraq. in Alex. lib. 2. c. 5.

Erat mos Romanorum, ut uxoribus primum domum ingredientibus claves darent: quo significabant, ipsas matresfamilias esse, atque omnem rei quæsitæ à viro potestatem habere.

Sponsâ in domum viri ingressâ, tota dies nuptiarum in sacrificiis, conviviis & saltationibus transigebatur; neque id parcè, sed lautè & opiparè. Extat utique in Symposiacis Plutarchi caput, quo tractatur, Διὰ τὶ πλείστους ἐν γάμοις ἐπὶ τὸ δεῖπνον καλοῦσιν. Leges sanè sumtuarias, quibus effervescens Romanorum luxuriæ æstus coërcebatur, nuptiis aliquid indulsisse, & de præscriptâ victus ac cœnarum tenuitate remisisse, accepimus. Lex siquidem Licinia, cum in certos quosdam dies centenos æris impendi permisisset, nuptiis ducentos indulsit. Lex verò Julia, quæ ad populum, Cæsare Augusto imperante, pervenit, profestis diebus ducentos finiit, Kalendis, Idibus,

Nonis

Nonis & aliis quibusdam festivis trecentos: Nuptiis autem & repotiis II. s. millies esse concessit, quemadmodum Gellius lib. 2. cap. 24. refert. A. Hotomannus. Vide *Aqua lustralis*. Et plura in Annotat. Andr. Tiraq. in Gen. dier. lib. 2. cap. 5.

NUTRICIUS vel *Nutrix*, non tantum significat *altorem* vel *altricem*, sed insuper primum infantis educatorem & institutorem. Sic Plato vocat Chyronem nutricium Achillis, à quo tamen Medicinam didicerat. lib. 3. de Rep. Beyerl.

NUX est omne pomum, quod foris duro operculo tegitur, & intus habet, quod esui aptum. Goedd. in Commentar. 205. n. 2. de verb. & rer. sign.

Nuces flagitabantur nuptis, & pueris spargebantur, ut ait Festus, ut novæ nuptæ domum mariti intranti secundum fieret auspicium, hoc enim tanquam Jovis omine celebrabatur matrimonium, ut nova matrona esset, sicut Juno: ut Servius notat ad Virgil. Erant enim nuces Jovi sacræ. Hanc nucum sparsionem notavit Virgilius:

Mopse novas incide faces, tibi ducitur uxor:
Sparge marite nuces.

Nuces

Nuces ſpargebat ſponſus, & inter pueros præſentes projiciebat, quòd puerilibus obleꝏamentis omiſſis, deinceps res ſerias agere vellet, uti maritum & civem deceret. M. Kipping.

Nuces inter miſſilia, imò nuces pro miſſilibus, quia inter omnia miſſilia hæ à populo diligantur, præſertim flammâ cùm ſint uſtæ, tradit Acron Grammaticus ad illud Horatii

Nec ſi quid fracti ciceris probat & nucis emtor. Bernart. Comment. ad 1. Sylv. Papinii.

NYMPHAGOGUS, qui ſponſam ducit ad ſponſum ex domo paternâ, isque apud veteres adhibebatur, cùm ſponſus ſecundas nuptias celebraret: tunc enim ſponſus ipſe non adducebat ſponſam, ſed amicorum aliquos emittebat. At cùm primas nuptias celebraret ſponſus, ipſe cum amico adducebat ſponſam, & hic amicus παράνυμφος dicebatur, à *Nymphagogo* diverſus. Martin. Lexic.

NYMPHÆA alii ajunt fuiſſe palatia publica, in quibus nuptias celebrarent, qui habitarent anguſtius; Alii *Nymphæa* putant loca publica delectationis gratiâ inſtituta,

ſtituta; in quæ non propter uſum, ut in balneas aqua deduceretur, ſed gratiæ & amœnitatis cauſâ: A Nympharum ſtatuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxerunt. Aliis *Nymphéa* vel *Nymphæa* (ſcriptura enim confunditur) ſunt loca, ubi ſolæ mulieres lavantur. Alii exponunt das Dantzhaus / aliis *Nymphæum* ſponſi & ſponſæ thalamus, à νυμφεύω, *nuptui colloco*. M. Fr. Hildebr.

O

OBÆRATUS, qui ære alieno jam obligatus eſt, quaſi ære alieno obſtrictus. Bud. in priorib.

Athenis in agris eorum, qui ære alieno obruti ſolvendo non erant, columnæ defigebantur, in quibus deſcripta erat debiti magnitudo & debitoris nomen. Factitatum id ab ipſis eo fine, ut ne quis ei poſtea imprudens fœnus locaret. Atque iſtæ columnæ ὅροι appellabantur. Suidas. Vid. Lexic. Jurid. Calvin.

OB-

OBAMBULARE est adversùs alios ambulare & quasi ambulanti se opponere, sive circumire, aut obviam ire. Festus.

OBELISCUS vox antiqua, magis nomine, quàm rei veritate deducta ab *obelus*, quo vocabulo Latini veru exprimunt. Neque enim est parvus Obelus Obeliscus, sed asperrimus lapis in formam metæ exurgens ad ingentem proceritatem & acutiem, specie quadratâ in verticem se extollens, manu artificis levigatus. Cum enim Soli à veteribus dedicarentur Obelisci, eos quoque ad modum radiorum finxerunt. Videmus quoque in plerisque notas Hieroglyphicas formarum variarum undique incisas, quibus Regum, in quorum honorem excitabantur, memoria & vota demonstrabantur.

Marcellinus scribens de urbis Romanæ splendore dicit in illâ inter labra ingentia, diversasq; moles, figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos plures monstrari, nonnullos jacentes & comminutos, quos antiqui Reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus rerum summarum elati, montium venis, vel apud extre-

tremos orbis incolas perſcrutantes exciſos, erectos Diis ſuperis in religione dicarunt. Hæc ille. Beyerl.

Obeliſcos Solis numini conſecratos eſſe Iſidorus tradit lib. 18. cap. 31. propter quod ad radiorum ſimilitudinem fiebant. Apud Ægyptios nomen habent à radio, & planè talis eſt radii forma, dum per feneſtram intrat. De horum varietate & præſtantia pluribus agit Plinius lib. 36. c. 9. 10. 11. De formâ verò & figurâ Blondus tractat lib. 1. de Roma inſtaurata: ut & de horum primis auctoribus Polydor. Virgilius lib. 3. de Invent. rer. c. 11. H. Salmuth. in Pancirol. part. 1. tit. 21.

OBLATIO ab *offerendo* nomen accepit, & dicitur omne id, quod quomodolibet offertur alicui. Propriè tamen ſecundum Grammaticos & Scriptores Eccleſiaſticos, accipiuntur *Oblationes*, ut ſignificent ea duntaxat, quæ Deo offeruntur in ſignum ſubjectionis. Beyerl.

OBNOXIUS, qui pœnæ obligatus eſt propter delictum, Autor Feſtus.

Transfertur autem ad alia multa, ut ex Grammaticis patet. Spieg.

Obnoxius dicitur, qui crimine vel pœnâ tenetur, & qui vinculo aliquo obligationis, sive ex contractu, sive ex delicto & maleficio obstringitur. Brisson.

OBNUNTIAT, qui malam rem nuntiat, qui bonam *ANNUNTIAT.* Nam propriè *obnuntiare* dicuntur Augures, qui aliquid mali ominis scævumque viderint. Ergo, obnuntio malum imminens, quasi omen nuntio, inde enim Etymologia hujusce verbi est. Donat. in Terent. Adelph. Act. 4. Scen. 2.

Hinc *obnuntiatio* augurum, cùm aliquid fieri prohibebant, quoniam auspicia non addixissent. Calvin.

OBROGARE vid. *Abrogare.*

OBRUSSA, vox usurpata Tullio, Senecæ, Tranquillo: sed sæpius à librariis depravata: significat normam, ad quam exigitur aurum. In vett. libb. sæpius scribitur *obryza*. Nempe est à Græco ὄβρυζα: unde *obrussa*, ùt à μάζα, *massa*. Nomen *obrussæ* sive ὀβρύζης ex eo, quia foret regula, utrum aurum esset *obryzum* seu *obrussum*, h. e. coctione crebrâ satis purgatum, ita ut nihil alterius metalli habeat admixtum. Voss. Etymol.

OB-

OBSONIUM, ὀψώνιον, ab ὄψον. licet generatim ponatur pro eo omni, quod cum pane comeditur: Tamen Terentio, Cornelio Nepoti, atque aliis κατ' ἐξοχὴν, imò, ut plerique arbitrantur, κυρίως signat pisces. Nam ὄψον & ὀψάριον non temerè aliter usurpata invenias, quàm de piscibus. Plura Voss. Etymol.

OCELLATA, [dicta, quòd ocellum referunt,] sunt globuli vel lapidei, vel eburnei, vel ex alia quâ materiâ, quibus olim puellæ ludebant, ut nunc quoque fit. Ovidius 10. Metamorph.

- - - *modo grata puellis*
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos.

Vid. Casaub. Comment. in Sveton. August. cap. 83.

OCREA crurum tegmen ex ære ad obtegendas tibias accommodatum. Hoc calceamenti genere primi tantum ordinis milites utebantur, reliqui caligis tibias muniebant.

OCTAVARII appellabantur conductores vectigalium; Olim enim vectigalis nomine octava pars pendebatur. Quæ tamen octava intelligenda est de octavâ par-

te specierum, quæ transvehuntur, cum commodè ex his in itinere tantum extrahi non possit. Vid. Dn. Jacob. Döppl. Rationar. fidel. Part. 2. cap. 5. pag. 270.

ODEUM publicum erat ædificium, in quo Citharœdi & Tibicines à Musico, & reliqui actores scenici ab histrione exercebantur, antequam in theatrum prodirent; vel in genere locus in ædibus cantui destinatus.

Odei vox apud Ciceronem, & in historiis frequens. In Odeo Attici theatri vestibulo (quod παρὰ τῆς ᾠδῆς, quasi *Cantilenarium* dicas) Ægyptiorum Regum statuas fuisse, Pausanias scripsit lib. 1. in Atticis. Extra theatrum quoque loca dicata Musis, eodem dicta nomine Scaliger asserit lib. 1. Poëtices cap. 21. quale Athenis fuit illud à Pericle destinatum Musicis certaminibus. Cujus interior descriptio multa habuit sedilia, multasque columnas: tectum autem subvexum fuit & acclive, in unum adsurgens fastigium, ut est apud Plutarchum in vita Periclis. Cujus & Vitruvius meminit lib. 5. Archit. 9. Atque hic fortè fuerit ille imagine theatri locus [ut cum Cœlio

Rhodigino loquar lib. 28. lection. antiq. c. 12.) in quem deferebantur carmina priusquam in theatro recitarentur.

Quidam *Odeum* intelligunt pusillum theatrum, unde musica certamina spectabantur, & observavit Philoander ad Vitruvium, quatuor Romæ fuisse *odea*. *Primum* in Aventino; *Secundum* inter Palatinum & Cœlium montes. *Tertium* prope theatrum Pompeji. *Quartum* Domitiani; ut refert Conrad. Rittershusius in Comment. ad Salvianum fol. 189. De Odeo Trajani, & cur Apollodorum architectum ejusdem, Adrianus interfici jusserit; habes apud Xiphilinum in Adriano Dionis. Henr. Salmuth. Com. in Panciroll. part. 1. tit. 18.

OFFICINA à *TABERNA* differt. *Taberna* enim erat ædificium in loco publico, ubi merces & quæcunque alia opera omnis generis venum proponebantur. In *Officina* verò ipsa opera fiebant, teste Vallâ libr. 4.

OFFICIUM dicitur, quod quisque debet efficere, observatâ locorum, temporum & personarum ratione. Calvin. Lexic.

OLEO triplicem habuit notionem. Nam & notabat *odorem spirare*, & *crescere*, & *perdere*. A primâ notione dictum *oletum*, unde *oletare*. Item *olentica*, mali odoris loca, ut est apud Festum. Ab altera significatione sunt *soboles* & *proles*: item *abolescere*, quod in Glossis Philoxeni exponitur ἀπακμάζειν, i. e. desinere vigere. *Exoletus*, qui *olescere* i. e. *crescere* desiit. Festus. A tertiâ significatione est *aboleo*, quod Græci dicunt ἀπόλλω sive ἀπόλλυμι. Voss.

OLYMPIAS, spatium annorum quatuor; ex eo dicitur, quòd juxta Olympiam, Elidis civitatem, quæ & Pisa dicta, teste Stephano, quinto quoque anno fierent certamina gymnica in honorem Jovis Olympii. Nec obstat, quod Ovidius *Olympiada* appellet *quinquennem*:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta
est:
Jam tempus lustri vertit in alterius.

Nam decepit eum vox Græca πενταετηρὶς, quomodo Olympias vocatur, non quia constet tot annis absolutis, sed quia quinto quoque anno redeat in orbem.

Certamina fuere quatuor: I. *Olympicum*, quod

quod instituit Hercules in honorem Jovis. II. *Pythicum*, quod Apollini dicatum fuit Delphis ob interfectum serpentem Pythonem. III. *Isthmicum*, institutum à Theseo in honorem Palemonis. IV. *Nemeum*, dictum à Nemeâ sylvâ, in honorem Archemori filii Lycurgi ibi defuncti.

OMEN, augurium, quod fit ore, quasi *Oremen*, teste Festo & Varrone. Est enim rei futuræ enunciatio seu signum, quod ex ore loquentis capitur; Divino tamen id Numine procurante. Cic. 1. de Divin. Neque solùm Pythagorei Deorum voces observant, sed etiam hominum, quæ vocant Omina: quæ majores nostri, quia valere censebant, idcircò rebus omnibus agendis, *Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit*, præfabantur. In malam partem sumitur, & de auguriis atque incantationibus, ubi divinatores per murmura verbis conceptis multa ab ominis mali fonte hausta prædicunt futura.

Veteribus Ethnicis nihil magis familiare erat, quàm ex animalibus omina ducere, & eventum elicere futurorum. Idque eâ superstitione, ut à singulis singula captarent,

rent, ac nihil æque ad augurum diſciplinam pertinere exiſtimarent, quàm iſtiusmodi inſomnia & conjecturas. Et quia omnia iſta recenſere voluminis foret, brevi tabellâ Laurentio Beyerlinck viſum fuit pauca complecti, additis ſive indicatis Autoribus, qui illa tradunt, quam vide Tom. V. Theatr. vitæ human. pag. 73.

Vulgò autem credebant, omina principiis omnibus ineſſe: quod Ovidius teſtatur, exemplisque illuſtrat in hunc modum lib. 3. Faſtor.

Omina principiis, inquit, *ineſſe ſolent.*
Ad primam vocem timidas advertimus aures
Et primum viſam conſulit augur avem.

Atque ut *bona* ſeu *fauſta omina* (quæ à Catullo in Epithalamio *candida*, ab Horatio verò lib. 3. Carm. Od. 2. *ſecunda*, à Silio Italico lib. 13. *dextra*, à Seneca in Octaviâ Act. 4. Sc. 1. *læta* vocantur) *accipere ſe* dicebant: Ita *mala* (quæ *dira* vocant Ovid. lib. 5. Metamorph. Tibull. lib. 5. Eleg. 3. Senec. lib. 2. de benefic. Sveton. in Auguſto cap. 1. & *infauſta* Ovid. lib. 6. Metam. & *ſiniſtra* Idem Epiſt. 23. Heroid. & *triſtia*, Idem lib. 3. Amor. Eleg. 11. & *adverſa* Sveton. in Vitell.

c.8. *Funesta* Cic. pro Cluent.& Tacit.lib. 18.) respuebant, detestabantur & aversabantur. Quâ in re usitata erant verba hæc: *Quod abominor.* Cujus locutionis exempla videsis lib. 1. de formul. Barnab. Brisson.p. 93. seq.

Captare omen proprium est μαντικῆς τῶ διὰ κληδόνων, quam describit elegantissime Pausanias in Achaicis: *Qui ad consulendum venit, Deum ad aurem interrogat, prout habet unusquisque argumentum ejus interrogandi, deinde aures manibus obturans, exit è foro: ubi autem foràs venium, manus aufert ab auribus: & quam primam audiverit vocem, eam oraculi loco habet.* Apulej. de Deo Socratis: *Videmus plerosque, pui non suopte corde, sed alterius verbo reguntur: qui ex angiportu reptantes, consilia ex alienis vocibus colligunt, &, ut ita dixerim, non animo, sed auribus cogitant.* Similes modi captandi omina & in templis Deorum & alibi in veterum scriptis possunt observari. Casaub. in Suet. Ner. c. 14.

OPERÆ Precium, mercedem labore dignam significat, quæ propria est ejus dictionis significatio. Sumitur tamen quandoque pro eo, quod memorabili &

non spernendo, vel precio, vel præmio dignum sit. Calvin.

OPISTOGRAPHUM, ὀπισθόγραφον, ab ὄπισθε *retrò*, & γραφὴ *scriptura*. Nimirum sic charta dicebatur, quæ non solum in parte adversâ, sed etiam in tergo esset scripta. Sæpius enim in adversâ solum paginâ scribebant. Sin etiam in aversa scriberetur, *opisthographa* dicebantur. Cujusmodi erant codices accepti & expensi. Nam adversâ scribebant expensum: aversâ acceptum. Si summa conveniret, dicebant *pariari*; sin minus, *reliquari*. *Adversaria*, etsi essent opisthographa, ab adversâ tamen paginâ, ut usitatiori, nomen hoc acceperunt. Ac in rationibus quidem id necesse erat, ut utrâque paginâ scriberetur. Alias id fieri non solet. Unde Martialis lib. Epigr.

Scribit in aversâ Picens epigrammata chartâ,
Et dolet averso quod facit illa Deo.

Si quis tamen longus nimium foret, necesse erat & aversam impleri. Unde Juv. Sat. 1.

Impune diem consumserit ingens
Telephus: aut summi plenâ jam margine libri
Scriptus, & in tergo nec dum finitus Orestes.

OPITER nepos veteribus dicebatur, inquit Festus, cujus pater avo vivo mortuus est: Sic dictus, quòd obitu patris genitus sit, aut quod avum post patrem habeat, id est, pro patre. Pratej.

OPPIDUM (Pratejus tamen per unicum p scribi debere putat) proprie est omnis urbs præter Romam, quæ peculiari nomine *Urbs* vocari cœpta est, ut cæteræ urbes vocantur oppida, ut ait Valla. Servius Sulpitius cùm numerasset urbes multas, postea dixit: *quæ oppida quodam tempore florentissima fuere.*

At cur *oppida* Veteres nuncuparint, inter legum interpretes controversia non caruit. Refert enim Isid. lib. 15. Orig. c. 1. quosdam tradidisse, ab oppositione murorum nomen habere: alios ab opibus recondendis: alios ab ope, quòd contra hostem opem dent. Sed obtinuit inter JCtos, ab ope ferendâ & sustinendâ nomen accepisse: quod in l. pupillus. 239. §. 7. ff. de verb. signif. Pomponius testatur, & ex Cicerone Festus, item M. Varro lib. 14. de LL. *Oppidum*, inquit, ab *ope* dictum, quod munitur opis causâ ubi sint: & quod opus est

ad

ad vitam gerendam, ubi habitent tutò: vel *oppida*, quod opere mœnia muniebant; quo munitius essent. Ideò enim civitates muris cinguntur, ut ipsarum ope hosti resistamus, & ab incursionibus hostium alisq; malis tuti simus. Calvin.

OPPIDO Adverbialiter ponitur pro *valdè* & *multùm*. Festus notat, ortum esse hoc ipsum verbum ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, atque ut multitudo significaretur, sæpè respondebatur, *quantum vel oppido*, pro *valde multum*. Cautelam autem adhibet Festus, quòd videlicet hæc vox dum locum inveniat, quando quæstioni subjici potest, QVOD SATIS EST. Monstratque ibi, errare illos, qui dicunt, *oppido dixi*, *oppido spectavi*, *oppido ambulavi*, quia non subjici posset istis, *quantum satis est*.

OPTIMATES Alberico sunt meliores, ut ipse ait, de populo. Atqui Erasmus inquit, *optimi* vocabulum non refertur ad mores, sed ad fortunam. Unde & *optimates* dicuntur, non qui moribus sunt laudatissimis, sed qui nobilitate generis, opibus ac dignitate præeminent: quan-

quam

quam nihil vetat, etiam inter illos esse bonos aliquot. Calvin.

OPUS & *Opera* differunt: ut ἔργον & ἀποτέλεσμα. *Opera* est ipsa actio, industria, labor, conatus, studium, quo in opere faciendo utimur. Et illud est, quod Græci appellant ἐργασίαν & ἔργον à verbo ἐργάζομαι id est, operor, & quamcunque rem facio.

Opus autem est operatum effectum, quod fabricando & operando effectum relinquitur. Cujus perfectio, cum à fine suo, utpote cum ipsâ formâ, per quam id, quod est, congruente arguatur, Græcis ἀποτέλεσμα, hoc est, ad finem suum perductum ἔργον, à verbo ἀποτελέω id est, ad finem & calcem perduco, perficio, absolvo. Goedd. in comment. l.5.§.1. n.6.7. de verb. & rer. sign.

ORACULA apud Cicer. in Topic. ex eo ipso appellata sunt, quòd in iis est Deorum oratio. Quod verò Principes Romani aliquid majestatis superhumanæ, unde *Divi* appellabantur, sibi attribuere, Deorumque numero sese esse, falsò sibi persvasêre [quemadmodum Domitianus ille, licet omnium truculentissimus, inscriptionem

ptionem facere solebat, autore Leto, *Domitianus Dominus & Deus vester*) factum est, ut Principis responsum, sive rescriptum, *sacrum oraculum* plerisq; juris in locis dicatur. Calvin.

Hinc *oraculi* nomen capitur pro dicto egregio & quasi divino, ut apud Plin. lib. 18. c.6. Inde illa reliqua oracula; *Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset. Malum patremfamilias, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cœli: pejorem, qui profestis diebus ageret, quod ferialibus deberet: pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quam in agro.* Ferran. Calvin.

Interpres Euripidis in Hippolyto, morem fuisse tradit olim antiquis, ut ii, qui ab Oraculo redirent, coronati ab omnibus domesticis flexis genibꝰ excipi consueverint.

ORATIO in sensu est, STYLUS in verbis. *Oratio* ad res refertur, *Stylus* ad verba. *Stylus* non est in tempore, sed prolatâ oratione. *Oratio* autem est in cogitatione, & in prolatu. *Orationem* in sententiis dicunt esse, *Stylum* in verbis, *argumentum* in rebus. Ergò in poëmate oratio est. Donat. in Andr. Prolog. *OR-*

ORCHESTRA apud Romanos locus erat, in quo Senatores considebant spectaturi, apud Græcos saltationes in câ peragebantur, unde illi nomen est.

ORDO à *SERIE* differt, quia *ille* digestio est, quâ suo loco quidque collocatur: *Hæc* verò continua quædam progressio atque contextus continuus.

Aliquando ponitur *ordo* pro ipsis hominibus, hoc est, iis, qui sunt ejusdem dignitatis.

Ordo est cujuslibet rei suo loco concinna digestio. Sic & in personis omnium maximè per justitiam distributivam apta quædam collocatio exigitur. Quare in Republicâ Ordines dicimus, sicut & in acie distributiones hominum pro uniuscujusq; statu & qualitate: ut singulæ functiones eò commodius intelligantur, expedianturq;.

Ordines Romani tres sunt. *Senatorius primus*: hi Patricii erant, & in Senatum eligebantur. *Secundus Equester*: hic medius erat equitum; qui equis publicis mererent, quorum insigne erant annuli aurei, quibꝰ à plebe distingvebantur. *Tertius plebis* erat, in quorum numero Quirites, & qui ex aliquâ tribu essent, atq; cives Romani dicebantur. Zas. in l. 2. de Orig. Jur.

Or-

O*rdines per Germaniam* tres eſſe commodè dixerimus: Videlicet *Senatorium*, hoc eſt, Principum & Magiſtratuum: *Equeſtrem*, hoc eſt beneficiariorum nobilium, ſive ruri, ſive in civitatibus. *Plebejum*, id eſt, reliquorum civium, negotiatorum, opificum & ruſticorum. Et profectò, ſi hos Status confundas, actum fuerit cum politia & tranquillitate. Unusquisque enim debet ſuæ vocationis meminiſſe.

O*rdo militaris* olim fuit, ut in exercitu, quodam gradu, miles Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus Legato, Legatus Conſuli obediret. Old.

ORNAMENTUM Græcis σκευὴ, Sic σκευὴ Ἡρακλέους dicitur, quicquid proditur o in ſcenam aſſumendum ut Herculis perſonam agat; puta leoninâ pellis, clava, pharetra, & cætera omnia id genus. Latini *ornamenta* vocant, ut ex Feſto, Senecâ & Svetonio rectè animadverſum Viris eruditis. Caſaub in Sveton. Tit. cap. 9.

Quibus non Magiſtratus ipſi committebantur, iis honoris causâ ornamenta magiſtratuum, ſive inſignia concedebantur. Hinc pro diverſis magiſtratibus, *ornamenta*

non

non modo *Prætoria*, ſed *Conſularia* & *Quæſtoria* etiam; quin *Senatoria* & *Triumphalia* & dicebantur & tribuebantur: quorum multa mentio apud auctores, atque Hiſtoricos quidem imprimis. Exempli gratiâ, Senatoriæ dignitatis inſigne erat latus clavus: quare ſi cui geſtandi hujusmodi clavi facta eſſet poteſtas, hic *ornamenta ſenatoria* conſecutus dicebatur. Et quia Prætorum propria prætexta erat: itaque cum Pallanti *Prætoria ornamenta* decreta fuerunt, conceſſum ei jus fuit geſtandi prætextam prætoriam, quamvis præturâ non fungeretur; item annulos aureos, quos & ipſos, quamquam communes cum Senatoribus Prætor habebat. Tacitus cum hanc ipſam rem narrat, *Prætoria inſignia* appellat, quem vide Annalium 12. cap. 53. Buchn. Not. in Epiſt. Plin. lib. 8. Epiſt. 6.

ORNATRICES ſunt ancillæ, quæ matronis comandis deſerviebant, eisque miniſterium in capillis diſponendis, dirigendis, criſpandis ac torquendis exhibebant. Briſſon.

ORTUS ab *ORIUNDO* in hoc differt, quòd *ortus* ſignificat locum nativi-

tatis, ùt, ego ſum ortus Romæ, Turoni. *Oriundus* autem, cum locum, ubi majores noſtri, à quibus deducti, natiquè ſumus, & unde fuerunt, parentes. Brechæus in l. provinciales ff. de verb. ſign.

OSCILLA dicuntur parva ſigilla in effigiem humanam arte ſimulata, ùt ſcribit Macrobius: & *oſcilla* quoque ſunt imagunculæ, quæ infantibus præbentur ad luſum: itidem *oſcilla* etiam dicebantur αἰώραι, id eſt, penſiles quædam geſtationes de arboribus ſuſpenſæ, in quibus homines per luſum jactabantur, atque ea jactatio OSCILLATIO dicebatur: Nam homines eo genere luſus ſe jactantes impoſiti transverſo tigno de arbore ſuſpenſo, alternis ſe mutuoquè ſubjectabant deprimebantquè. Quod genus luſus per ſex feriarum Latinarum dies celebrare ſolebant, in memoriam & imaginem vitæ humanæ, in quâ altiſſima interdum in infinitum dejiciuntur, infima in altum efferuntur & evehuntur: ita memoriam redintegrantes initio acceptæ vitæ illis diebus per oscillationem, motus cunarum per lactatam potionem, quâ tum utebantur, lactis alimentum ſignificabant.

Nam

Nam ſac Latinis feriis adhibebatur etiam in ſacrificiis. Cicero
Et læto mactaſti lacte Latinas. Calvin.

OSCOPHORIA feſtum Athenienſium, in quo præferebantur palmites racemis onuſti in memoriam Bacchi & Ariadnes. Nicol. Cauſſin.

OSCULUM. Donatus tria facit oſculandi genera, eaque nominibus diſtingvit, vocans *Oſculum*, *Baſium* & *Svavium*. *Oſcula* officiorum ſunt, inquit, *Baſia* pudicorum affectuum: *Svavia* libidinum vel amorum. Eunuch. Act. 3. Scen. 2.

OSCULUM Florentinum. A patribus noſtris, & avis, cum puer eſſem (inquit Lilius Gyraldus ad Auguſtinum Beccarium) memini, dum me oſcularentur, audiviſſe, *Florentinum oſculum* eos mihi dare, quo oſculo apprehendebant utrinque mihi aures & oſculabantur: poſtea adultior factus, dum ſtudiis operam impenderem, comperi conſvetudinem hanc oſculandi antiquiſſimam eſſe, non ſine ratione factam: quinimò & Græci & Latini Scriptores claſſici, ut paulo poſt oſtendam, ejus meminere: Plutarchus certe in eo, qui eſt

de *Audiendo* inſcriptus, ſic propemodum hac de re prodit: *In eâ ætate maximè referre, ſi puerorum aures bonis imbuantur colloquiis.* Xenocrates etiam non ab re præcepit, *ut aures armari ac muniri thecis, ut ſic dicam, quas vocant amphotides magis quàm athletæ curarent*; hoc genus quidem oſculi à Græcis *chytra* & *chytron* vocatur. Ænnicus Poëta priſcæ Comœdiæ, quem perperam Eunicum, ut puto, apud Pollucem legimus, de chytra ſic in fabula, quæ antea inſcribitur ſenariolo meminit ſic à me converſo: *Prehendens per aures da mihi chytræ oſculum*, ſic enim Græcè legitur lib. x. apud Pollucem λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν, quo loco Julius Pollux ait, *chytran* ſpeciem oſculi fuiſſe, quâ puerulі auriculis apprehenſi oſcularentur. Svidas verò χύτραν genus eſſe oſculi & ipſe prodidit. Porrò notiſſimum eſt, hoc vocabulo Græcos *ollam* vocitare. Putarim ego genus hoc oſculandi ſumtum eſſe ab olla, quæ duas anſas haberet, quarum utramque arripientes, qui olla bibebant, quaſi oſculari videbantur: in ollis enim non modò antiqui, ſed & hoc tempore apud nonnullas nationes ebibe-

re morem esse scimus. Osculi hujus, quod auribus comprehensis infertur, meminit & Theocritus in eo idyllio, quod ædipori inscribitur, sic enim canit:

Non amo Alcippem, nam non prius oscula poscit
Auribus arripiens tribuiquam dona palumbi.

Hinc ego illud Tibulli in 2. Eleg. ita lego:

Oscula comprehensis auribus arripiet.

Alludit & Plaut. huic consvetudini in Pœn. cum Milphionem ita loquentem inducit, *Sine te exorem, sine te prehendam auriculis, sine dem suavium.* Hoc loco missum facio id, quod me scripsisse memini in aliis meis annotationibus, quòd auris esset mnemosynæ, id est, memoriæ consecrata. Hinc memorem aliquem facere volentes, aures illis movere seu vellere soliti erant antiqui: unde est illud Virgilii: *Cynthius aurem vellit & admonuit.* Sed de hac re multo plura in primo de Deor. gentium historiâ scripsi. Gruter. Thesaur. Critic. part. 2. pag. 410.

Romanis Principibus mos fuit, ut abeuntes redeuntesq; peregrè Senatum oscularentur. Id quod ex Tranquillo intelligimus, qui ita inquit in Ner. cap. 37. *Multas*

nec dubias significationes sæpè jecit, ne reliquos quidem se parsurum Senatoribus, eumque ordinem sublaturum aliquando è Republicâ ac Provincias, & exercitus Equiti Roman., & libertis permissurum. Certè neque adveniens neque proficiscens quenquam osculo impertivit: ac ne resalutatione quidem. Bud. in Pand.

Erant quotidiana Romanis *oscula*, quæ obvii, quamvis non magnâ familiaritate conjuncti, invicem impertiebantur. Erant & cognatorum, amicorumque. Sed ea tum maxime præbebant, cum jam profecturi valedicebant; vel reversi peregrè, salvere jubebant suos. *Persæ*, ut auctor est Herodot. lib. 1. *si pares sibi invicem occurrerent, sese mutuò osculabantur: si alter paulo inferior, genibus osculum dabant; si multò, prostratus velut adorabat.* At Romani in osculis etiam minori dandis minus parci: majoribus obvii, si tecto forte erant capite, illud aperire, nec non de via cedere, atque de equo, vel vehiculo descendere, prætereuntibus quoque assurgere solebant: interdum verò venerationis causâ dextras osculari. Torrent. in Horat. Od. 36. lib. 1.

Osculo impertiebant parentes filios suos,

os, honores, aus Magistratus adeptos, itemque propinqui & amici, &c. Arrian. Differt. lib. 1. cap. 19. *Mandatus est cuipiam Tribunatus? omnes obvii eidem gratulantur: & alius oculos, alius collum, servi manus osculantur.* Idem fiebat in Curia. Plut. Bruto. Plinius Panegyr. Cic. pro Muræna. Casaub. in Jul. Sueton. it. in Jul. Cæsar. cap. 13.

Osculabantur mortuos, & moribundos. Propertius lib. 2. eleg. 13.

Osculaque in gelidis pones suprema libellis.

Ovid. 4. Fastor.

Osculaque applicuit posito suprema feretro.

In Epist. Canaces.

Non super incubui, non oscula frigida carpsi.

Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Flebis & arsuro positum me Delia, lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mista dabis.

Albinovanus ad Liviam:

An, miseranda parens suprema nec oscula fixit:
Frigida nec fovit membra tepente sinu?

Passerat. in Propert.

OSSILEGIUM veteribus erat in honore maximo; magnum contra dedecus non legi ossa, ut facile apparet ex Stra-

bone lib. 6. apud quem Locri ossa, filiarum Dionysii non sinunt legi, imò dissiparunt in mare, idque contumeliæ loco.

Procedo ad mores, qui comitantur *ossilegium*. Legebant ossa patres, amici, hæredes, ac proinde alii quavis conjuncti cognatione, aut ratione aliâ devincti. Qui legebant [en alter mos] erant discincti è ritu vetere, pedibusque nudis, & lotis manibus. Lacrymis ossa perfundebantur, ac inter legendum sinu fovebantur notâ amoris; tollebantur in altum, ut siccaretur humor conceptus ex vino, lacte, lacrymis.

Sequuntur jam mores post *ossilegium*. In urnam primùm condebantur ac tum *componi* ossa dicebantur. Deinde conjectis ossibus unguenta admiscebantur, & odores. Lacrymæ amicorum in ipsam urnam denuò adjiciebantur. Conditis ossibus tegebatur urna, atque coronabatur. Studium denique erat amicorum urnam manibus contingere præ pietate in defunctum.

His factis urna novum nomen comparabat: non enim tum solùm dicebatur *urna*, sed etiam *ossuarium*, aut *cinerarium*.

576.

OSTEN-

OSTENSIONALES milites apud Lamp. videntur dici, qui ostentui modò habentur in urbibus, non bellicæ rei causâ. Ex Rhodig. Spieg.

OSTENTARE, est affingere sibi majora, quàm quæ re ipsa sint, quàm ingenium ferat, aut facultates, aut falsa omninò de se prædicare, aliaque quàm sint ea præclara admodum, magisque ac magis narratu atque honoratu digna. Rhod.

OSTENTUM vocabulum generale est ab ostentatione novæ & inconsvetæ formæ sic nominatum, quod Ulpian. in l. 38. ff. de verb. sign. hoc modo definit: *Ostentum*, inquit, *est omne, quod contra naturam cujusque rei genitum factumque est*. Ejus duo genera seu subalternæ constituuntur species. Alterum, quoties quid contra naturam, hoc est, contra naturæ consuetudinem, nascitur, seu quoties naturalis forma non mutatur, sed solummodò interpolatur, aut amplificando, aut detrahendo, aut mutilando (veluti si quis tribus manibus forte aut pedibus, aut quâ aliâ parte corporis geminatâ aut interpolatâ, quæ naturæ contraria est. Alterum, cùm quid pro-

digiosum, hoc est, monstrosum, videtur, hoc est, cujus forma in aliam speciem est mutata, & quasi prodigium naturæ, quæ sui ipsius oblita videtur & prodigia adeò facta, ut interdicto ferè opus habuisset. Quæ (ostenti genera) Græci φάσματα (eò, quòd videnti apparent, dicendove judicantur, sicut apud Latinos monstra & ostenta, à monstrando & ostendendo dicta, cũ propter animi novitatis avidi opinionem visu mira invicem à spectantibus & currentibus monstrentur & ostendi petantur) vocant. Calvin.

OSTRACISMUS apud Athenienses exilium erat annorum decem, ita dictum ἀπὸ τοῦ ὀστράκου, hoc est, testulâ, quâ inscriptum ferebant nomen ejus, quem exterminare volebant. Differebat plurimum ab *exilio*. Nam *exilium* fiebat ob flagitia; *ostracismus*, quod nimia potentia suspecta esset. Quippe Ostracismo usi erga eos, qui virtutis opinione, aut populi favore aut clientium multitudine, aliave civili facultate cæteris præcellerent.

Duobus quoque aliis modis differebant, quos his verbis indicat Svidas: *Ostracismus ab exilio differt, quòd eorum quidem, qui exi-*

exilio damnati erant, bona publicabantur; iis verò, qui per testulam è civitate erant summoti, pecuniam populus non adimeret: his quidem tempus ac locus præfinita; ii autem, qui exulant, neutrum horum habent. *Ostracismo* affinis

PETALISMUS Syracusanorum, sic dictus à voce πέταλον, quia *oleagino folio* inscriberetur ejus nomen, cujus potentiam formidarent, foliisque numeratis is *exulare quinquennium* juberetur, cui folia plurima obtigissēt. Auctor Diod. Sicul. l. 12. Vid. quæ de *Ostracismo* ac *Petalismo* congessit ex antiquis Meursius lib. 5. Atticar. Lect. cap. 18.

OTIUM propriè dicitur *vocatio à labore*, cui *negotium* opponitur. Accipitur etiam pro exercitatione leviore animi, vel corporis, à gravioribus & magis seriis negotiis. Inde dictum illud Ciceronis: *Quid dulcius est otio literario?* Item sumitur pro quiete, pace, tranquillitate. Beyerl.

OVATIO fuit minor quidam triumphus, eóque à legitimo distabat triumpho, quod Dux ipse, non curru, sed pedibus, ùt Dionysius ait, ùt alii, equo urbem evehebatur. Nec picta aureive clavi veste aut trabea, sed peculiari Consulum, ducumque insignibus instruebatur.

Coro-

Corona & ſceptrum omninò diverſum, cætera, quæ & legitime triumphanti omnia aderant. Sabell. libr. 18. Enn. 2. De eâ ſic Plutarchus: *Ovans non invehitur curru, neque laureatus, neque concinitur tubis: ſed pedibus ingreditur calceatus, modulantibus multis tibiis: Coronam geſtat myrtheam, ſicut pacatus, gratus, aſpectu magis, quam metuendus.* Unde conjecturâ ducor, inter *ovationem* & *triumphum* non ex magnitudine rerum geſtarum, ſed ex modo fuiſſe olim diſcrimen. Qui enim ſignis collatis & cæſis hoſtibus victores rediiſſent, Martialem illum & trucem, meo judicio, ducebant triumphum, & ut moris erat in luſtrando exercitu, multa lauro arma militesq́ue excolebant: at qui citra vim benevolentiâ, gratiâ & verbis confeciſſent rem, iis ducibus pacati hujus & plauſibilis celebritatem dabat mos: Nam pacis inſigne tibia eſt, & myrtus Veneris planta, quæ à vi & bello præter cæteros Deos Deasq́ue abhorret. CAUSÆ:

Romani Duces, qui in hoſtes victricia tulerunt arma, ſi ea, quæ geſſerant, triumpho digna non forent, perſæpè minoribus triumphis & ovatione honeſtati ſunt. Ovandi

vandi autem causæ erant, si non debellati hostes penitus: si non in sua & sibi constitutâ provincia, sed in alienâ res acta esset: si alieno auspicio res gesta esset: si nondum pacata penitus provincia: si bella non rite indicta: si non cum hoste legitimo, sed cum servis, piratis, vel fugitivis bellum fuisset: si ex provincia exercitus non deportatus, nec successori traditus foret: si incruenta victoria obvenisset, minusve quinque millia hostium unâ acie cecidissent: ita enim lege exceptum erat. Et ne prior lex ex cupiditate laureæ antiquaretur, ei altera suppetias tulit, quæ imperatoribus pœnam minabatur, qui aut hostium occisorum, aut amissorum civium falsum numerum literis Senatui ausi essent referre. Valer. Max. lib. 2. Exempl. Beyerl.

OVILE in comitiis. Locus, in quo centuria prærogativa erat, nominatim appellatur *ovile*, in quem locum centuriæ seniorum ingredi non licebat, nisi potestate factâ à Consule. *Ovile* verò dicebatur propter similitudinem, quòd undique cancellis clausum esset, in quo loco cùm essent, suf-

suffragium dicebant, ita, ut interim non liceret aliis in eo loco esse. Hujus etiam loci meminit Dionys. lib. 10. ubi de comitiis L. Quintii loquitur, & Lucian9, cùm ita scribit: *Et miseræ, maculavit ovilia Romæ.* Calvin.

P

PACISCI & *TRANSIGERE* hoc differunt, quòd is, qui *transigit*, quasi de re dubiâ, & lite incertâ neque finitâ transigit: qui verò *paciscitur* donationis causâ, rem certam & indubitatam liberalitate remittit.

PACTA Conventa: Elegans conjunctio est horum verborum, ut scil. alterum alterius significatione suppleatur, & omnia tandem hominum placita comprehendantur. Sic dicimus *dicta facta*, significantes omnem rem prorsus gestam inter aliquos.

PAGUS est prima societas naturalis ex pluribus domibus non quotidiani solùm usus gratiâ constituta. Apud Historicos Romanos latiore significatu *pagus* accipitur pro multorum vicorum collectione aliquot milliaria comprehendente.

Hinc

Hinc Jul. Cæſ. temporib9 Helvetia in *pagos* eſt diſtributa, in *pagū* Tigurinū, Bernenſ. &c.

Dictus eſt *pagus* è Græco πηγὴ ſeu παγὴ, doricè, quod *fontem* ſignificat: Unde *pagani* olim dicti, qui ex diverſis agrorum partibus & prædiis ad aquam ex eodem & communi fonte hauriendā convenerunt.

PAGANI olim erant ruſtici, ſicut & hodie ex vulgato loquendi uſu, qui agriculturæ duntaxat operam dabant; & à militiâ arcebantur, ne armis aſſueti contra civitates inſurgerent. *Paganus* ergò eſt, qui non militat. Calvin.

PAGANALIA ſive *Paganicæ feriæ*, ruſtica ſacra, agriculturæ causa ſuſceptæ, quibus agricolæ Cererem invocabant & potionem burrhanicam à rufo colore, quem burrhum vocant, ſic dictam, i. e. lac ſapa commiſtum ſumebant è certo vaſis genere, quod dicebatur *Camella*.

PALÆSTRA dicta eſt ἀπὸ τῆς πάλης, à lucta: quod hæc ut ſimpliciſſima, ita fuerit antiquiſſima exercitatio; à qua hæc vox ad reliqua exercitia, imò & ſtudia translata: Semper tamen propriè locum ſignificavit, in quo luctabantur. Mercurialis.

Fuit

Fuit autem Lucta pars tantum Gymnastices, ùt Plutarchus scribit l. 2. sympos. problem. 4. siquidem hæc quinque constabat exercitationibus: *Cursu, Lucta, Saltu, Jactu* & *Pugillatu cum cæstu*, de quibus Jul. Cæsar. Scaliger lib. 1. poëtices. cap. 22.

Fabricabant Veteres *Palæstras* aut *Stadia*: 1. in quibus adolescentes exercebantur luctando, currendo, saliendo, jaculando & cum cæstu pugnando. Locus ille quadratus erat, & Stadium nominabatur; quia duorum stadiorum habebat ambulationis circuitionem: quæ quartam mille passuum continet partem. In hoc tres porticus simplices erant dispositæ; quartaque, quæ ad meridianas regiones erat conversa, duplex; uti cum tempestates ventosæ essent, non posset aspergo in interiorem partem pervenire. Sub hac aperta erat porta, quæ in aulam ducebat amplissimam, undique sedes habentem, in quibus Philosophi & Rhetores sedentes disputabant. 2. Eaque dicebatur *Exedra* sive *Ephebeum*; eò quòd adolescentes, qui & Ephebi dicuntur, ibi erudiebantur. Quia veteribus pauci erant libri, disputando magis, quàm scri-

ſcribendo ſe exercebant; ut Svidas ſcribit, verbo Gymnaſia. Eratque locus ille inſtar capituli Monachorum, quod in monaſteriis ſolet cogi: cujus in locum ſcholæ noſtræ ſucceſſerunt. Exedra tertia parte longior erat, quàm lata, ut Vitruvius deſcribit lib. 5. c. 11. & à dextro & ſiniſtro latere concamerationes habebat, balneorum uſui inſervientes. Panciroll. part. 1. tit. 26.

PALANGÆ, inquit Nonius, dicuntur fuſtes teretes, qui navibus ſubjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, vel cum ad littora ſubducuntur: Unde etiam nunc *palangarios* dicimus, qui aliquid oneris fuſtibus transvehunt. Voſſ.

PALARIA. Ad *palum* exerceri, aut jaculis atque ſagittis ferire, nonnunquam fundis & lapidibus, diſciplinæ militaris erat. Fuit enim *palus* cubitorum trium, quem tyrones ſcuto & clavo velut hoſtem petere, in eumque ictus & plagas inferre ſolebant. In quo id cavebatur inprimis, ne dum ad palum ictus intendunt, ipſi hoſtium telis pateant: proinde oportebat animo eos & corpore intentos eſſe, non

magis ad inferendos, quàm ad cavendos declinandosque ictus: Cui ludo *Palaria* nomen. Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 1. c. 20.

Vide Vegetium lib. 1. cap. 11. & alios, quibus *Palus* dicitur imago lignea, super terram fixa, quem hastâ sive ense petebant: & tanquam cum hoste certatim congrediebantur: scuto vimineo, & interdum clava graviore, ut in verâ pugnâ postea solutiores aptioresque essent: aut scopo præfixo id est, aliquo face vimineâ, vel aliquo signo arcu exercebantur. De hujusmodi autem palis Polybius libr. 18. Græci palum hunc optimum esse putant, qui plurimas habeat & maximas circa stipem excrescentias. Apud Romanos verò pali duas aut tres aut ad summum quatuor virgulas habent, & tales usurpant: unde accidit, ut facilè portari queant: unus enim vir tres vel quatuor invicem compositos gestat. A. Tiraq. ad loc. cit.

PALATIUM quòd vocamus Principis cujusque domum, id factum ex eo, quòd ab Octavii Augusti temporibus Imperatores omnes habitarint in *Palatio* sive *monte Palatino*. Imò & priscis fuit hæc impe-

imperii ſedes, quando Evander in eo, ac pòſt Romulus, habitavit. Voſſ.

PALILIA erant 21 Aprilis, & rogabatur Pales, ut felices partus daret pecori, tabem ac lupos prohiberet, ſalubria paſcua efficeret. Deſcribit prolixè Ovidius lib. 4. Faſt. Paſtor ſub initium auroræ adolebat ſuffimentum è favillâ vituli, ſanguine equi & fabæ ſtramine luſtrabat pecus ac ſtabula omnia aquâ, incenſo ſulphure, admiſtis foliis lauri, offerebat libum de milio, lacte & ſapâ, i. e. vino decocto. Sacris exactis paſtores aquâ reſpergebantur, cœnæ parabantur, quibus finitis ſub noctem ignes è ſtramine accendebantur, quos tranſiliebant, ut corpora ſua expiarent. Inde Perſius Sat. 3. dicit:

- - *Fumoſa Palilia fœno,*

Tibull. lib. 2. Eleg. 5.

At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor
Concinet, à ſtabulis tunc procul eſte lupi.
Ille levis ſtipulæ ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras.

Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Annuaque accenſo celebrare Palilia fœno.

In hoc feſtum natalis dies Urbis communi

Quiritium devotione referebatur. Propert. lib. 4. Eleg. 4.

Urbi festus erat, dixêre Palilia Patres,
Hic primus cepit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cùm pagana madent fercula divitiis.
Cùmque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes.

Vide Antiq. Rom. Kipping. lib. 1. cap. 10. pag. 248.

PALLA Varroni inde dicitur, quòd palàm & foris exstet, ad vestigia usque demissa. Prælòngam eam fuisse Virgilius innuit lib. 11. Æneid.

Pro crinali auro pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exsuviæ per dorsum à vertice pendent.

Hinc *pallam trahere* eidem Varroni dicuntur Citharœdi, qui spaciolàm vestem longo syrmate terram verrentem gerere solebant. Turneb. lib. 30. cap. 9. Etsi autem hæc citharœdis etiam quandoque in usu fuit: propriam tamen fœminarum fuisse testatur Nonius cap. 14. ubi *pallam honestæ mulieris vestimentum esse* asserit, hoc est, tunicæ pallium. *Ei gemmas in ordinem affixas fuisse*

fuisse Isidorus scribit. Ideoque & pallam dictam ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, à mobilitate, quæ est circa finem hujusmodi indumenti; sive quod rugis vibrantibus sinuata crispetur. lib. 19. cap. 25. Similiter Ulpianus inter muliebria vestimenta etiam pallam enumerat. in l. vestis 23. §. muliebria. ff. de auro & argent. legat. H. Salmuth. in Pancirol. p. 1. tit. 45.

PALLADIUM. Apud Vestales, ubi ignis perpetuus in penetralibus sacris, velut sanctiore recessu asservabatur, colebatur *Palladium*, & Dii penates Trojâ advecti, velut fatale pignus imperii, idque cum tantâ veneratione, vel potius superstitione, ut nulli hominum, nisi Vestalibus & Pontificibus adire fas esset.

Traditum autem est, Deos illos fictitios Trojâ allatos, fuisse duos juvenes veteris artis & operæ, parvis imagunculis, sedentes, & more militari pila tenentes, tametsi Palladium ab Æneâ advectum nonnulli Apollinem & Neptunum ferant: alii Trojanam Palladem Romæ, & Lavinii & aliis in locis demonstratam fuisse volunt, ita, ut non conveniat inter auctores, neque etiam

multum referret, si in historiis non tam frequens mentio hac de rė fieret, qualia ista idola fuerint, lâtiusque esset, ea nunquam extitisse. Vide L. Beyerl.

Cedrenus Græcæ historiæ scriptor putat *Palladium* ligneam Minervam, quæ eadem Pallas dicitur, imaginem fuisse. Ajunt, inquit, id nefandis quibusdam dæmonum consecrationibus arcanisque ritibus dedicatum, eâ vi fuisse, ut urbem, in quâ esset, inexpugnabilem conservarit. Id signum Troi Trojanorum Regi Ilium condituro, Philosophus quidam & innominatarum præstigiarum sacerdos, Asius nomine, dono attulit, in cujus gratiam Tros universam suam regionem hâc Epirrhopam appellatam, ab ipso Asiam denominavit.

Persvasum autem ita hominibus; vel eos ita fascinatos fuisse, ut his futilibus rebus fidem adhiberent, patet ex Homero, Virgilio & aliis. Græci enim oraculis fidem habentes invictos Trojanos, eorumque urbem fore, quamdiu Palladium custodirent, putabant. Ideoque Ulysses magnâ cum astutiâ illud clam abstulit, à quo ad Diomedem pervenisse dicitur, quem postea illud

Æneæ

Æneæ in Italiam venienti admonitum nescio quo oraculo, ut somniant, invitum tradidisse ferunt. Virgilius hanc rem confirmat, ita scribens:

Omnis spes Danaûm & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit: impius ex quo
Tytides, sed enim scelerũque inventor Ulysses
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuêre sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas.
Ex illo fluere ac certo sublapsa referri
Spes Danaûm: fractæ vires, aversa Deæ mens

I. Beyerl. Vid. Camer. Cent. 1. c. 60. & Barthium lib. 60. Adverſ. pag. 2843. Item Not. de la Cerd. in Virg. Æn. 1. pag. 169.

PALLIUM vestimenti genus, quod togæ vel tunicæ superinducebatur. Hinc in proverbium, *Tunica pallio proximior*. Erat vestis propria Græcorum, sicut toga Romanorum. Philosophorum quoque vestis erat, ut tradit Bayffus de re vestiariâ.

Materiam pallii, ut plurimùm lanam fuisse, testantur Auctores. Plautus Mil. Glor. Act. 3. Scen. 1.

Eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur &c.

Pállia etiam *pellicea* habuiſſe veteres, colligi poteſt ex Ariſtophane in Nubibus. Ex *ſerico* in uſu fuiſſe apud Romanos, conſtat ex Vopiſco in vita Aureliani, ubi docet, Aureliani uxorem pallium petiiſſe *blatteoſericum*.

Color *pallii* apud veteres varius fuit. Olim Monachorum & Aſcetarum pallia *nigra* fuiſſe ex Syneſii Epiſt. 146. ad Johannem probat Magnus Salmaſius ad Tertullianum de Pallio. Rhetorum pallia *rubra* & Phœnicei coloris erant. Philoſophorum autem *fuſca*. Baſilius Presbyter in Nazianzenum: *Tribones ſunt pallia quædam; Rhetorum quidem rubra ſunt, & Phœnicei coloris; ſed Philoſophorum fuſca.* Et *Coccinea* habebant, ut videre eſt in Epiſt. Commodi ad Albinum. Vopiſcus in vita Valeriani: *Ut tibi inſigne aliquod imperialis Majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente.* Sed & variis figuris & auro ornari ſolebant pallia. Phidias palliis uti ſolebat, quæ aureas teſſaras intextas habebant, teſte Plinio. Vide Salmaſium ad Ælium Lampridium,

pridium, in vita Alexandri Severi. De *pallio auro sparso* leges apud eundem Lampridium, in eâd. vitâ.

Forma *palliorum* varia fuit apud veteres. Quadratum fuisse vestimentum, vulgatior sententia est. Tertull. de Pallio: *Pallium extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumstrictus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat.* Sed & illa ipsa pallia, quæ *quadrata* dicuntur, non omnia ejusdem formæ fuerunt. Vid. Braun. de vestit. Hebr. lib. 2. cap. 5.

Palliatos assedisse convivas mensæ, pluribus exemplis probatur; & de Adriano Imper. Ælius Spartianus testatur, quòd semper aut pallio aut toga submissâ tectus discubuerit. Sic Martialis:

Ad cœnam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

Etiam Romanos in lectis pallio usos, Ovidio teste affirmat Baysius.

Nec in lecto pallia nostra sedent.

PALMA est vola manus, h.e. pars illa concava, quæ est inter carpum & digitos intermedia, cujus pars exterior à Græcis ὑποθέναρ dicitur. Quanquam etiam

jam non raró pro totâ manu palmam acceptam legimus.

Ab hujus ſimilitudine arbor ille nobilis, quæ dactylos profert, quam Græci φοίνικα appellant, à noſtris quoque *Palma* dicitur, quod comam in cacumine habeat circumextenſam, & ramos in digitorum modum protenſos. Unde & fructum ejus dactylos, h. e. digitos vocamus, quód digitorum manus ſimilitudinem referant. Hæc arbor ponderi non cedit, ſed ſurgit adverſus pondus: ideò Victoribus traditur præmio, quód non ceſſerint, ſed pertinaces in bello perſtiterint. Vid. Gell. lib. 3. cap. 6. Unde etiam ponitur pro ipsâ victoriâ. Plura Calepin.

Palmam ferre & *palmam tribuere*, & *palmam præripere*, & his conſimiles orationes, tametſi propter frequentem uſum ſimplices eſſe videantur, tamen proverbiali ſchemate dictæ ſunt. Neque enim *palma* per ſe victoriam ſignificat, ſed arborem ἐμπεδόφυλλον, id eſt, *perpetuo virentem frondibus*, quam Græci φοίνικα vocant. Cur autem ab hac potiſſimum ſumta ſit metaphora; illud arbitror in cauſa fuiſſe, quod quem-

quemadmodum in convivialibus quæstionibus refert Plutarchus hæc una fuerit communis omnium sacrorum certaminum corona, cum alioqui singuli ludi peculiares quasdam arbores aut herbas haberent, quibus victores insigniebantur: veluti laurum, oleam, myrtum, aprum. Præterea sunt, qui putent, hanc arborem initio Phœbo sacram fuisse ante laurum, & antiquissimum victoris insigne fuisse *palmam*, non aliam quampiam arborem.

Quamobrem autem hæc arbor potissimum electa sit ad eum usum ab antiquis, Aulus Gellius causam reddit lib. Noct. Attic. 3. cap. 6. scribens, arbori palmæ peculiare quiddam inesse, quod cum ingenio fortium virorum conveniat. *Nam si super ejus*, inquit, *lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat: non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur, recurvaturque.* Not. Var. in Terent. Prolog. Phorm. De *palmæ* significatis vid. plura lib. 50. cap. 1. & seqq. Joan. Pier. de Hieroglyph.

PALMATA vestis, quæ & Triumphan-

umphantium vestis erat, palmam habebat intextam, & quidem filis quandoque aureis. Inde *palmatæ aureæ* J. Firmico lib.4.c.15. *Tunc enim coronas aureas, tunc prætextas decernit, aureasque consularium, sive proconsularium palmatas.* Erat nempe & consularis vestis, ut præter Firmicum etiam Symmachus testatur. Ep. 41. lib. 6. & triumphantium, ùt modò dixi. Tertullianus de Corona militis: *Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis.* Palma enim victoriæ symbolum in certaminibus habebatur. Plura Henric. Salmuth. in Panciroll. part. 1. tit. 43.

PALTUM vid. *Arma.*

PALUS vid. *Palaria.*

PALUDAMENTUM vestem esse Imperatorum, scribit Tranquillus in Cæsare: Festus tamen omnia militaria ornamenta paludamenta dici in libris auguralibus affirmare videtur. Calvin.

Notat Valerius Maximus lib. 6. cap. 1. *Imperatoribus in prælium exeuntibus paludamentum album aut purpureum dari solere.*

Tribunum vel Præfectum, aut Præsidem aliquem ex habitu significare qui volebant, ima-

imaginem ejus paludamento insignem faciebant. Erat enim *paludamentum* vestis militaris, quo Duces, Tribunique, & Praefecti ad id munus electi, cum in provinciam proficiscebantur, uti consverunt, indeque *Paludati* dicebantur, quemadmodum milites praecincti. *Paludamentum* Nonius chlamydem mox appellatam dicit, sed id quoque antiqvum nomen. Sed enim omnia militaria ornamenta, paludamenta dicebantur. Unde Verrio libris auguralibus: *Paludati*, armati, ornatique sunt. Pier. Hieroglyph. lib. 40. cap. 33.

PANCRATIASTEN eum dici volunt, qui luctator simul & pugil foret, quippe cùm alii pugiles, alii luctatores forent: is, qui utroque tenetur studio, pugnâ scil. & luctâ, *Pancratiasticus* nuncupatur. Calvin.

PANCRATIUM Plut. in sympos. lib. 2. cap. 4. certamen esse mixtum scribit, ex pugillatu & luctâ.

Pancratium itaque ludus erat, qui in pulvere fiebat, recto stadio invicem percutientium. Budaeus in prior. annot. sic dici vult, quòd advocatis omnibus corporis viribus

viribus, omniumq; nervorum contentione exigitur. Calvin.

PANEGYRIS πανήγυρις publicus cœtus seu conventus, publica celebritas; ut cùm die festo, ludis solemnibus aut celebri mercatu, tota aliqua gens unum in locum convenit; velut in Græciâ ludis Olympiacis, Isthmiacis, Phythicis, Nemeæis: Festo item sacrorum Eleusinorum, Panathenæorum & similium.

Panegyrica oratio proprie est, non quæcunque est generis ἐπιδεικτικοῦ, sed solùm laudatoria quævis, sed quæ nec laudatoria habetur in cœtu populi universi: quem Græci πανήγυριν vocant, à πᾶν & Æolico ἄγυρις pro ἀγορὰ atque inde panegyricæ orationi nomen. Quæ adversus hanc sententiâ adferri possunt, discussit Voss. in Orat. l. 1. c. 5.

PAPYRUS est arbor, quæ instar juncorum aut salicum apud nos nascitur in Ægypto in locis palustribus aut marginalibus fluminum: Estque earundem copia prope Nilum. Nascitur & in Syriâ ac in Euphrate circa Babylonem, ut auctor est Plin. l. 13. c. 11.

Ex foliis hujus arboris, quæ latiora habet, acu diductis ac divisis, parabantur char-

tæ ad ſcribendum, quæ eo erant meliores, quo mediæ papyro propinquiores. Atque ex hinc Chartas noſtras, quæ è linteis molâ contritis fiunt, papyrum vocamus, propter uſum, quem eundem cum Ægyptia habent papyro.

Ex ligno verò *papyri*, nam creſcit in molem decem cubitorum, habetq́ue truncum triangularem; conficiuntur naves, juxta illud Lucani 4.

- Cùm tenet omnia Nilus
Conſeritur bibulâ Memphitis cymba papyro.

Et Ovid. lib. 15. Metamorph.

Perque papyriferi ſeptemflua flumina Nili.

PAR. Propter Acidalii conjecturam, etiam Radero probatam, explanandum hic eſt, quid ſimile diſtet à pari. *Par* eſſe dicitur, quod tantum habet virium, aut magnitudinis, quanquam alia ſit forma aut ſpecie: ut contra

SIMILE, quod eandem figuram habet, magnitudine diſpari; puta, duobus angulis rectis pares ſunt, qui triangulum conſtituunt: quanquam diſſimiles. Quadratum quadrato ſimile: quanquam poſſit eſſe diſpar. Vid. Not. in Q. Curt. lib. 5. cap.

PARIARE, *paria facere* : quod tum fit, quum expensi rationes cum accepti rationibus quadrant, paresq; sunt. Ulp. l. 4. §. 5. ff. de manum.

PARIATOR qui sic rationes retulit, ut expensa paria sint acceptis: nam ei *Reliquator* opponitur.

Contrarium est *Reliquari*, Rest bleiben. Quod verbum non semel in Digestis legitur. Nam & *reliqua* dicebantur, quæ solvenda restant, Reste.

PARAGAUDA. Paragaudas, vestes fuisse auratas & sericas auro intertextas, omnibus & quidem viris inprimis prohibitas (nisi quibus hæ propter imperiale ministerium concessæ fuerunt) & soli Principi, ejusque domui dedicatas, disertè colligitur ex l. 1. 2. & 4. de vestib. hol. lib. 1. Scribit tamen Vopiscus, *Aurelianum Imperatorum primũ paragaudas vestes militibus dedisse: cùm antea non nisi rectas purpureas accepissent.* Et quidem P*aragaudæ* illæ pro lororum sive filorum aureorum intextorum numero, *Monolores*, *dilores*, *trilores*, usque ad *pentalores* dicuntur eidem Vopisco in Aureliano à loris fortasse, quorum

lati-

latitudinem fasciæ illæ æquarent & simularent speciem. Etsi enim *Paragaudæ* vestes quoque ipsas denotabant: Sic enim Vopiscus paragaudæ vesti purpuream rectam opponit, quæ nec clavata erat, nec prætexta: eas tamen Turnebus putat propriè fascias fuisse vel aureas vel sericas, auro ornatas, quæ vestibus intexerentur. Idque verbi ex Græco & Latino ei videtur compositum, ut quoddam argumentum & gaudium vestis intelligatur: vel quod limbo paragauda & margini esset vicina, velut παρὰ caudam, i. e. juxta caudam & extremitatem, & oram vestis. Turneb. l. 9. adv. c. 11. Salmuth. in Panciroll. p. 1. tit. 45.

PARANGARIÆ sunt sumtus aut labores à Principe positi, cum iter aliò versum suscipitur. Micræl.

PARANYMPHUS vox Græca, usurpata à B. Hieronymo & aliis, pro eo, quem *pronubum* dicimus, antiqui *auspicem* vocabant. Nam pro nuptiis celebrandis auspicium captabant. Eratq; *auspex*, qui ex parte viri se habebat: quæ autem ex parte mulieris erat, *pronuba* appellabatur. Alia tamen hujus vocis significatio est

Veteribus uſitata. Siquidem *Paranymphus* is erat, qui cum ſponſâ eodem curru & cum ſponſo ferebatur, tanquam hujus amicus ac neceſſarius: quem etiam *Parochum* fuiſſe appellatum, Pauſanias & Suidas aſſerunt, quaſi quod deſponſorum curam gererent Paranymphi, iisque neceſſaria providerent. Beyerlinck.

PARAPHERNA, παράφερνα, juncto ex παρὰ & φερνὴ nomine, dicuntur ea, quæ præter dotis cauſſam viris deferuntur, i. e. res uxoris extra dotem conſtitutæ, vel res, quas uxor in domo mariti in uſu habet. Ulp. in l. 9. §. 2. ff. de jur. dot.

PARASITUS apud Græcos ſignificat eum, qui aliorum menſam & cibaria ſequitur: unde paraſiti dicuntur, qui ad voluntatem ejus, in cujus contubernio ſunt, loqvuntur & faciunt quidvis, cibi & ventris gratiâ. Nomen *paraſiti* priùs honeſtum fuit & ſacrum, & à Græcis illi dabatur, qui curam ſacrarum epularum habebat, ut teſtatur Pollux: nam & locus, in quo ſacrarum frugum primitiæ reponebantur, παρασίτιον appellabatur. Vide L. Beyerl.

Para-

Parasitos, & ejusmodi nugas hominum, qui alienis conviviis non vocati supervenibant, facete *muscas* vocabant. Lipsius A. L. libr. 3. Olim publicè Athenis alebantur in singulis pagis in honorem Herculis: postea Magistratus, ut hoc sumtu liberarent Rempubl. divites elegerunt, quibus alendos parasitos traderent. Casaub. in Athen. libr. 16. c. 9. *Parasiti* nomen fuisse olim sanctum & venerabile, postea sordidum & infame; vide, quomodo doceat idem Athen. eodem libro pag. 234. seq.

PARATITLA, argumenta & quasi summæ tractatuum, ad quemque titulum seu rubricam appositæ; unde fieri de toto tractatu conjectura possit: quasi causæ quædam conjectio. Calvin.

PARAZONIUM erat gladius perquam latus & absque mucrone: gestabatur à tribunis militaribus, vel teste Martiale:

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris:
Arma tribunitium cingere ligna latus.

Sic dictus est, quòd *penderet de zonâ*. De la Cerda Not. in Æn. 5.

PARENTIS appellatione non tantùm pater, sed etiam avus & proavus

ac deinceps omnes ſuperiores continentur; ſed & mater, & avia, proaviaque, inquit Cajus. Calvin.

PARENTARE eſt defunctis vitâ parentibus juſta perſolvere: quanquam etiam & avorum, & majorum, & aliorum amicorum manibus ſacrificare ſignificaret. Hinc

PARENTALIA dicebant eos dies, quibus parentare & juſta mortuis facere liceret. Hæc ipſa quidem parentalia ab antiquis menſe Februario celebrari ſolita erant, qui tum erat ultimus anni menſis, poſtmodum verò ſecundus factus. Calv.

PAROCHIA eſt locus, in quo populus certæ eccleſiæ certis limitibus eſt conſtitutus. Rectius dicta eſt antiquitus *parœcia*, quæ eſt accolarum conventus, & ſacra vicinia, in quâ qui habitant, dicuntur *Parœci*. Micræl.

PARRHESIA licentia & libertas loquendi. Ideoque Oratoribus ſumitur pro voce liberâ & effrenatiore, ut: *Dicam equidem, licet ille mortem mihi minitetur.* Ethnici *parrheſian* habent pro virtute, quâ quis ingenuè animi ſenſa profert, nec gratiam,

nec

nec honores & opes aucupatur, sed nec odium reformidat. Micræl.

PASSUM inter vinorum dulcium genera censeri, dubitare non possumus: cum auctorem habeamus Plinium lib. 14. cap. 9. Varro de vita populi Romani lib. 1. *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in Sole aduri.* Quare etiam Ulpianus Jurisconsultus l. 9. ff. de tritico, vino, vel oleo legato, vini appellatione & passum posse intelligi, docet diserte. Casaub. in Athen. lib. 10. cap. 11.

PATAGIUM aurea chlamys, quæ preciosis vestibus superindui solet. Festus *Patagium*, inquit, *est, quod ad summam tunicam assui solet, quod ob id Patagiata dicitur.* Scaliger: *Patagium assuebatur vestibus mulierum, ut clavus virorum.*

PATER etiam nomen religionis, unde Dii omnes patres vocabantur: peculiariter Bacho tributum est patris nomen; Jupiter Divûm pater nominatur: Oceanus rerum pater. Similiter nomen reverentiæ; Romulus centum Senatores elegit, quos patres ab honore, sive ætate,

ſive curâ, quam habere in rebus publicis expediendis oportebat, vocavit, L. Beyerl.

Apud Lacedæmonios, Perſas, Scythas ante ſeptimum ætatis annum pueri ad patris conſpectum non accedebant, ne antè patrem cognoſcerent, quàm illum vereri ac venerari didiciſſent. Perſæ editum infantem ante ſeptennium in conſpectum parentum non adducunt. Valer. lib. 2. cap. 1. Strabo lib. 15. ante quartum, Herodotus ante quintum; ut ſcilicet patres parvulorum amiſſionem æquiore animo ſuſtinerent. Cæſar lib. 6. belli Gallici. *In reliquis vitæ inſtitutis hoc ferè à reliquis differunt, (Galli) quod ſuos liberos, niſi cum adoleverint, ad ſe venire non patiuntur: filiumque puerili ætate in publico, in conſpectu patris aſſiſtere turpe ducunt.* Ex Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. & Tiraquello. Exemplum punitæ erga patrem non præſtitæ reverentiæ, prodit Juſtinus lib. 18. in extremo.

PATERFAMILIAS dicitur, quicunque familiæ princeps eſt, ſub quo reliqui ſubſunt ſuo quisque ordine, nec alium locum, quàm ſui ordinis tenet. Connan. lib. 2. cap. 14. n. 2.

PA-

PATER PATRATUS unus Fecialium dicebatur. Erat autem is, cui pater & cui filii erant, & maximus habebatur, teste Plutarcho, ubi appellationis causas inquirens has adfert: Vel quòd & liberos revereantur suos, & timeant genitores: Vel quòd sint perfecti, ut ipsum nomen sonat. Patratum enim esse quasi perfectum & absolutum, perfectiorem autem esse, qui vivo patre pater esset factus, vel quod jurejurandi & pacis præsidem oporteat simul prorsum & retrorsum videre: Id verò maximè præstare posse eum, qui & filium habeat, de quo consultet, & patrem, quicum deliberet.

PATRES Conscripti. L. Tarquinius Rex creatus, partim sibi timens ab Anci filiis: partim ut hoc genere beneficii remuneraretur eos, quos studiosos sui in adipiscendo regno cognoverat, centum alios Senatores conscripsit, qui minorum gentium, & conscripti patres sunt vocati. Conn. lib. 1. cap. 2. n. 3.

PATRES Patriæ ideò dicti, quòd eam, quam patres in filios potestatem, ipsi in cives haberent. An potius hoc institu-

tum honoris, quàm imperii causâ, ut ipsi tanquam patres subjectos admonerent ac amarent, ùt filios: & cives, principes tanquam parentes observarent. Calvin.

PATRIA nihil est aliud, quàm ejusdem populi natio simul congregati iisdem legibus vivens & institutis. Conn. lib. 1. cap. 5. num. 5.

PATRIMONIUM propriè est, quod nobis à parentibus relictum est, & à majoribus obvenit.

Patrimonium & *Hæreditas* differunt: Illo namque verbo res ipsæ, hoc jus à patre relictum intelligitur. Sed consvetudine loquendi res eò deducta est, ut jam plerumque ejus generis bona, sive à patre relicta & adventitia, sive patrisfamilias operâ ac diligentiâ parta eo nomine intelligantur. Calvin.

PATRITII non iidem sunt, qui *nobiles*: ùt vulgò creditur. Nobiles enim omnes sunt ex plebeiis, ùt in voce *Nobilis* demonstravimus. Nam populus Romanus ita distingvitur, ut alii patritii essent, alii plebeii. Patritii, qui eorum Senatorum progenies erant, quos Romulus crearat. Calvin.

Hic

Hic non est prætereunda, quæ inter Dionysium & Livium est controversia. Dionysius enim ait Romulũ patritios primò, deinde centum ex patritiorum primoribus, qui numero longè plures erant, Senatores fecisse, ita, ut verè dici posset: *Senator est, ergò patritius:* non è contra, *patritius ergò Senator*, qvum ex Dionysio non omnes facti patritii Senatores lecti essent. Livius verò centum tantùm patritios à Romulo factos fuisse, prodit, quos etiam Senatores fuisse refert, Romulique secundam ex Sabinis lectionem omittit. Hos autem à Romulo primâ lectione patritios creatos, eos esse constat, qui majorum gentium dicti sunt: Qui verò à reliquis Regibus Brutoque primo Consule, minorum gentium. De quo plura Onuphr. Panvin. in comment. lib. 1. Fastor. de patritiis & Senatoribus.

PATROCINIA appellari cœpta sunt, cùm plebs distributa est inter Patres, ut eorum opibus tuta esset. Inde factum est, ut *patrocinium* pro tutelâ & defensione dici cœperit. Festus.

PATRONUS quasi *pater* dictus:

eodem modo, quo *Matrona.* Servius in illud Virgilii:

- - *Et fraus innexa clienti.*

Ex lege, inquit, 12. tab. venit, in quibus ſcriptum eſt, *Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto.* Sic enim *clientes*, quaſi *colentes* ſunt, *patroni* quaſi *patres*: tantundem eſt clientem, quantum filium fallere. Hoc autem ex Romuli inſtituto, quem ferunt patritiis plebeios commendaſſe, optione cuique è vulgo datâ, quem vellet, patronum eligendi, more ab Athenienſibus repetito, & eam pauperum tutelam *patronatum* appellatam fuiſſe: jusque patronatus officiis tum inde apud Romanos durantibus hujusmodi conſtitiſſe, nimirùm ut patroni clientibus de jure reſponderent, cujus illi rudes erant & ignari, abſentium æque atque præſentium curam gererent, adeſſent in judiciis, omnemque accuſatoris impetum ſuſtinerent. Juxta Plauti illud in Menec.

Jus applicationis ab Athenienſibus ortum eſſe reor, apud quos peregrini ſe opulento civi in clientelam dabant, dicabantque, quod in palliatâ Comœdiâ imitatus

eſt

est Terentius, cum in Eunucho scripsit: *Una est domus, Thais patri se commendavit in clientelam & fidem: Nobis dedit se.* Id Athenienses appellabant νέμειν προστάτην. Qui autem ad Patronum se non applicarat, in judicium vocabatur, quod dicebatur ἀπροστασίου δίκη. Apud Romanos autem patronos habebant clientes, liberti, municipia, coloniæ, provinciæ: etiam qui civitate ab aliquo donati fuerant, eum, à quo donati fuerant, patronum habebant, & ejus nomen gerebant: Succedebant ab intestato Patroni libertis, si suos hæredes non habent. Turneb. libr. 24. cap. 32.

Etsi sunt relata *patronus* & *libertus*: tamen præter hunc patronum alium libertis olim habere jus fuit, cujus ipsi non liberti dicerentur, sed clientes. Cic. ad Attic. libr. 1. *Libertum ego habeo, sanè nequam hominem, Hilarum dico ratiocinatorem & clientem tuum.* Sic Athenis servi, cum manumitterentur, optabant sibi ac publice asciscebant patronum, in cujus clientelâ essent, idque voce præconis. Isaac. Casaubon. in Tiraq. J. Cæsar. cap. 2.

PATI-

PATIENTIA est honestatis aut utilitatis caussâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio, inquit Cicero 2. de Invent.

Proprio vocabulo conniventia maritorum & in ferendis adulteris facilitas, *patientia* vocabatur. Portius Latro apud Senecam lib. 2. Controvers. 15: *Quanquam eò prolapsi mores sunt, ut nemo ad suspicanda adulteria nimium credulus videri possit; tamen ego adeò longè ab eo vitio semper fui, ut etiam timeam, ne quis in me aut nimiam patientiam, aut nimium stuporem arguat.*

Tertullianus de patientia cap. ult. *Nam ut in isto quoque Domino Diabolus æmularetur, quasi planè ex pari, docuit & suos patientiam propriam: illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes uxorum potestatibus subjicit.* Item Pater Apologetici cap. 39. *Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores. In isto loco consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed & sua amicis PATIENTISSIME subministrant.* Not. A. Buchner. in Epist. Plin. lib. 6. epist. 30.

PE-

PECUNIA est, quæ à Græcis τὸ χρῆμα dicitur, καὶ ἀργύριον, omne æs publicâ formâ signatum, quo vel commutandis, vel vendendis emendisque rebus, & mercemoniis comparandis gentes inter sese uti solent, quod precium rei emtæ & venditæ appellatur. Calvin.

Pecunia sine peculio fragilis. Veteres dicere solebant, *pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium* appellantes, quod præsidii causâ seponeretur. Varro scribit de L.L. lib. 4. *Præsidium esse dictum, quia extra castra præsidebant in aliquo loco, quo tutior regio esset.* Sive, ùt Festus definit, *præsidium est, quod utilitate & salute alicujus, auxilii gratiâ præponitur.* Sunt ergò milites præsidiarii, qui utilitate & salute totius exercitus, extra castra præsidebant, hoc est, qui castris auxilii gratiâ præponerentur. Hinc deinde factum videri potest, ut pro exercitu etiam præsidium veteres interdum posuerint per Synecdochen; & sic quod reponitur præsidii causâ, rectè exercitus causâ dici *repositum* potest. Nam cum ad Attic. scriberet Cicero, *Italiam totam armis præsidiisque teneri,* an non per *præsidia* synecdo-

chicè

chicè exercitus intellexit? Ulpianus autor est, ob transitum exercitus conferri quid à rusticis ex fructibus olim solitum l. 27. §. 3. de usufruct. Proinde quis hinc non intelligit, quid sibi Celsus & Proculus voluerint, cum *pecuniam sine peculio* scriberent *esse fragilem?* *Peculium est*, inquiunt illi, *quod præsidii, hoc est, exercitus transeuntis causâ seponitur; siquidem tunc ex fructibus sic conferre solent rustici, ut aut certam præstarent fructuum portionem, aut ea certâ nummorum quantitate redimerent.* Proinde qui boni esse patresfamilias volebant, hi seponebant certam pecuniæ summam, quâ hujusmodi fieri, ut sæpe bellis civilibus contingebat, fructuum redemtio posset, & id, quod ita sepositum erat, appellabant rustici peculium suum. Fortassis eâ ratione, quâ servile peculium nomen accepit. Quemadmodum etiam hac potissimum ratione peculium sedulò convasant servi, ut tandem se peculio suo redimant ex servitute: sic rustici, ut militibus debitam redimerent fructuum portionem, præsidii causa seponebāt nummos aliquot. Sine quâ sepositione omnis eorum pecunia tam fragilis erat, ut ea exercitu transe-

unte,

unte, plerumque tota prodigeretur.

Posse etiam hunc locum sic intelligi, ut *præsidii causa* dicatur id seponi, quod militum metu absconditur; partim ex his Celsi verbis, ut quidam bellis civilibus factitassent, obscurum quibusdam non videtur. Sed magis arridet interpretatio prior. Ræward. varior. libr. 5. cap. 17. Corras. Miscell. lib. 1. cap. 13.

Pecunia à *pecude* dicta est, quasi peculium patrisfamilias ex pecude æstimatum. Veterum enim tota substantia ac totum eorum patrimonium in pecudibus repositum erat, omniaque necessaria, fundos, domos, esculenta, poculenta, pecudibus sibi comparabant, iisdem pecudes redimebant. Columella in præfat. lib. 6. Calvin.

Ante receptum usum nummorum, pecuniæ locum in contractibus, mulctis, præmiis & omne genus collationibus, obtinuerunt res ad humanos usus necessariæ, ut docent nos antiquissimi quique auctores, & probant Jurisconsulti auctoritate summi vatis. Non igitur mirum est, apud Rhodios aliquando pœnæ nomine exactas fuisse ficus, item oleum, vinum & similia. Sic apud

vete

veteres Romanos ovis & bos. Casaubon. in Athen.lib.3.cap.3.

Phœnices Deos suos fingebant cum crumenis & marsupiis, quòd nullum majus existimarent divinitatis symbolum, quàm *pecuniam:* ex quo & Mercurii statua visebatur Constantinopoli, sacculum gestans. Georg. Codinus in parecbolis.

Pecuniæ obediunt omnia, quod venustissimo epigrammate Arbiter illustravit:

Quisquis habet nummos securâ naviget aurâ,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit,
Acrisium jubeat credere quod Danaen.
Carmina componat, declamet, cōcrepet omnes,
Et peragat causas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus paret, non paret, habeto.
Atque esto quicquid Servius & Labeo.
Multa loquor quid vis nūmis præsētibꝰ opta,
. . Eveniet, clausum possidet arca Jovem.

Nicol.Caussin.Parab.Hist.lib.2.c.2.pag.62.

Platonis lex, quâ sancitur, ut privatis pecuniam habere auream vel argenteam fas ne sit, extat Legum lib. 5. De antiquo Lacedæmoniorum more capite puniendi eos, penes quos auri argentive fuerit repertum ali-

aliquid, habes apud Xenophontem & Plutarchum, in ipsorum de illa Republica scriptis. Casaub. in Athen. lib. 6, cap. 4.

PEDAGIA dicuntur, quæ dantur à transeuntibus in locum constitutum à principe. Calvin.

PEDARII & *Pedanei*, tum Senatores, tum Judices, dicebantur. *Pedarii Senatores* unde vocentur, triplex est sententia. Sunt, qui ita dictos, qui non haberent jus novæ dicendæ sententiæ, sed pedibus irent in alienam sententiam: Atq; id quoque sensit Festus. Altera sententia fuit Gabii Bassi, qui, Gellio teste, scriptum reliquit, ita eos vocatos, qui nondum gessissent curulem magistratum, idque quia pedibus irent in curiam, cùm, qui magistratum curulem gesserant, soliti sint curru vehi, super quo sella esset, in quo considerent, unde & *Sella curulis* vocabatur. Tertia sententia est ipsius Agellii, qui superioribus duabus rejectis, putat equites eos, qui nec dum à Censoribus in senatum lecti erant, eòque nec Senatores dici poterant, si populi honoribus usi essent, habuisse jus veniendi in senatum, dicen-

dæque ſententiæ; ſed quia in poſtremis ſcripti erant, non rogatos fuiſſe ſententias, ſed quas principes dixerant, in eas diſceſſisſe. Vid. Gell. lib. 3. cap. 18. Voſſ.

PEDIBUS ire in ſententiam, idem quod alterius ſententiam approbare eſt. Nam apud Romanos Senatoribus per Conſulem interrogatis, cùm primus dixiſſet ſententiam, mox diſcedebat in aliquam partem: tum reliqui, qui ejusdem ſententiæ erant, eodem ibant. Quod per diſceſſionem *Senatusconſultum* vocabatur. Hinc *in ſententiam ire*, vel *pedibus in ſententiam ire*. Old. Calvin.

PEDISEQVUS famulus eſt Domino proximus, & ei velut adhærens quocunque ſe moverit, & transfertur ad alia deinceps fidelia & ſingularia obſequia. *Sequipedem* appellat ab eodem officio ætas ſequior; ut Anaſtaſ. Bibliothec. in vit. Pontific. Notament. MS. in Caſſiod. Epiſt. Præfat.

PEGMATA, ùt docet Feſtus Pompejus, ornamenta ſunt ex ære aut marmore confecta: quæ utplurimùm in atriis, quandoque in porticibus aulisque affi-

affiguntur, majorum, aliorumque fortium virorum gesta certiùs quàm pictura ostendentia. Porrò πῆγμα Græcum vocabulum est, ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, quod est *pango*, deductum: significatque machinam, in quâ statuæ collocantur, & quasi panguntur ad illas sustinendas, sive aliud quicquam ejusmodi. Martial. Epigr. 1. de mole, super quâ impositus erat Domitiani colossus,

Et crescunt mediâ pegmata celsa viâ.

PEIERARE vide *Abjurare*.

PELLEX, inquit Massurius lib. memorabilium, apud antiquos ea habita est, quæ cùm uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam, appellant. Vid. Calvin.

PELTA vid. *Arma*.

PENDERE *pœnas*, solvere significat, ab eo, quòd ære gravi cum uterentur Romani, penso eo non numerato debitum solvebant, unde & *pensiones* dictæ. Festus.

PENE *dixerim*: moderationis clausula hæc est, Jurisconsultis admodum

familiaris. Pomponius in l. ſtipulationum aliæ. §. *Conventionales ſunt*, inquit, *quæ ex conventione rerum fiunt: quarum totidem genera ſunt, quot pene dixerim rerum contrahendarum. Cùm enim plura ſint negotia, quàm vocabula, quomodo etiam non plura eſſent rerum, quàm ſtipulationum genera?* Calvin.

PENULA veſtis, quam ſupra tunicam accipimus, pluviæ arcendæ gratiâ; virorum & mulierum communis fuit.

PENTATHLUM dicitur, quod in ſe continet hos quinque ludos: *Saltum, Curſum, Diſcum, Jaculum, Luctam.* Latinis *Quinqertium.* Vid. *Iſthmici ludi.*

PEPLUM, πέπλον, propriè eſt palla fœminea picta Minervæ conſecrata. Hodie multi abutuntur hoc nomine, ùt Servius in libr. i. Æn. teſtatur. Sed etiam pro quocunque matronali pallio ſumitur. Athenis verò κατ᾽ ἐξοχὴν hoc nomine, teſte Suidâ, vocabatur, *velum Panathenaicæ navis*, quam Athenienſes Minervæ apparabant feſto Quinquatrium ſive Panathenæorum majorum. Lutatius Placidus in l. 10. Theb. *Peplum eſt veſtis candida, aureis clavis picta, ſine manicis, quod ſimulacris fiebat.*

Sed

Sed hoc peplum primum est ab Athenienſibus inſtitutum, quod matronæ ſuis manibus faciebant, & inter triennium (leg. quadriennium) numinibus afferebant. Satis liquet, ſermonem eſſe de peplo Minervæ: intextum erat, ùt Pallas Enceladum, aliosque gigantes interemerit: ùt Virgilius teſtatur in Ciri. Nec ſola tantùm gigantomachia ei intexta erat: ſed etiam geſta Ducum Athenienſium, qui ſtrenuè rem geſſiſſent. Hoc vult Svidas, cum de peplo agens extremo addit, καὶ ἐνέγραψεν τοὺς ἀρίστους ἐν αὐτῷ. Eſtque hæc ratio, cur Ariſtoteles quoque *Peplum* vocarit poëma, quo Heroum tumulos celebravit. Ejus poëmatis & Euſtathius meminit: non tamen Stagiritæ fuit, ſed alterius Ariſtotelis: ut indicat Tzetzes in Heſiodi ἔργα. Voſſ. P. Ex Not. in Præfat. ad A. Gell.

PEREGRINUS is dicitur, qui civis Romanus non eſt, ad quem jus Quiritium non pertinet, ſive nunquam fuerit civis, ſive amiſerit civitatem. Calvin.

Veteri lege Athenienſium cautum erat, γαμεῖν ἀστὴν μίαν: *unam uxorem legitimam, eamque civem ducito.* Sed & inter ſolos Ro-

manos matrimonia contrahebantur. Nam cum Latinis, peregrinisque connubium, nisi id eis concessum esset, non erat. Testes sunt Ulpianus in Titulorum fragmentis, & Boëthius in Commentar. ad Topica Ciceronis. Ex quo Senecà lib. 4. de Benefic. *Promisi tibi*, ait, *filiam in matrimonium*: *postea peregrinus apparuisti. Non est mihi cum extraneo connubium.* Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 1. *Itaque maximam apud populum invidiam Antonio conflavit, ab eo, contra leges ac Patriæ instituta, contractum cum Cleopatra conjugium: malè enim audiebant peregrinæ, tanquam meretrices.* Not. Var. in Terent. Andr. Act. 3. Scen. 1.

PERFICERE vid. *Absolvere.*

PERICULUM generaliter significat quodlibet damnum. Propriè verò significat *casum fortuitum* seu *fatale damnum*, quod humanâ prudentiâ caveri & prævideri non potest.

Periculum nonnunquam significat id, quod fit ab artifice tantum experiendi & periclitandi ingenii gratiâ, seu quod primo ab artifice excogitatur & efficitur, ut postea expoliatur, & accuratius absolvatur. Calv.

PE-

PERIPSEMA vid. *Lustratio.*

PERIRE vid. *Interire.*

PERITI habentur, qui multa experti sunt, vocati ab antiquis Jurisprudentes, quibus scil. ab experto noti essent, atq; ab observatione ritus patrii, leges, mores, consvetudines; quique memoriâ tenerent, quâ in causâ, quoque in negotio, vel ancipiti ac maximè dubio, vel oppidò quàm difficili, quid à majoribus vel judicatum esset vel constitutum, vel publicè etiam sancitum: Unde qui hujusmodi facultati dant operam, legum periti ac juris dicuntur: eaque cognitio appellatur à doctis pariter atque indoctis peritia. Calvin.

PERISTYLIUM propriè est locus columnis instar porticus clausus aut undique septus. Sumitur autem pro loco, quem in celebrioribus Emporiis coëunt certâ diei horâ mercatores & negotiatores de commerciis, cambiis, aliisque ad negotiationem pertinentibus acturi eumque *Bursam* vulgò appellant ab effectu, quod in eo tractentur illa, quæ *bulgam* sive *bursam* impleant.

PERMUTATIO nihil aliud est,

quam contractus, *do, ut des*, leg. naturalis §. 1. de præsc. verb. Dividitur *in do, ut des, Do, ut Facias, Facio, ut des, Facio, ut facias.*

Permutationis primus & antiquissimus contractus ab indigentiâ & ipse ortus, ut reliqui omnes. Nam cum nemo sibi omnia præstare posset, quæ essent ad vitam commodè atque honestè degendam necessaria, propter imbecillitatem ac inopiam desideratæ sunt commerciorum atque officiorum mutationes, ut his dandis accipiendisque, quod minus ipsi per se possent, reciperent ab aliis, vicissimque redderent, quod in suâ positum esset potestate & facultate. Licet autem permutatio & emtio simillimæ sint, & eodem penè jure censeantur; hoc tamen differunt, quòd in emtione pro re pretium datur. In permutatione res pro re, pretium pro pretio. Paul. Sicut aliud est vendere, aliud emere, alius emtor, alius venditor; ita aliud pretium, aliud merx. At in permutatione discerni non potest, uter emtor, uter venditor sit, multumque differunt eorum præstationes: Emtor enim nisi fecerit nummos accipientis, tenetur ex vendito. Venditori

verò

verò sufficit ob evictionem se obligare, possessionemque tradere,& purgare se dolo malo. Itaque si evicta res non sit, nihil debet. In permutatione verò, si utrumq; pretium est, utriusque rem fieri oportet: si merx, neutrius. Sed cum debeat & res & pretium esse: non potest inveniri, quid eorum merx & quid pretium sit: nec ratio patitur, ut una eademque res & veneat & pretium sit emtionis. Connan. libr. 7.cap.5.num.2.& 6. Calvin.

PERPETUUM vid. *Sempiternum.*

PERSONA à *personando* dicta est, ideò, quod histriones faciem suam in scenâ tegebant, alienamque præferebant, id est apud Juvenal.

Personam thyrsumque tenent & sublegat acti.

ut sit, quod Græci προσώπον vocant, vel μορμολυκίαν, quanquam μορμολυκίας nomen ad terrorem incutiendum magis pertineat.

Dicitur etiam *persona* is, qui personam sustinet, πρόσωπον, secundum Synecdochen; ut est mulier, nempe ipsa videtur non persona loqui. Hæc Rodolph. Agricola in Epist. ad Alexandr. Hegium.

Seneca *personam* vocat, cum præ se fert

 ali-

aliquis, quod non eſt: *Ut perſonam malit, quam faciem*: id eſt, Roterod. interprete, *videri malit, quàm eſſe.* Vid. Joan. Calvin. Lexicon.

Tragœdos Baccho ſacros fuiſſe nemo ignorat. Itaque ut emeriti milites arma ſua Marti, gladiatores rude donati Herculi, paſtores fiſtulam Pani, mulieres vetulæ & effœtæ pectinem Veneri ſuſpendebant: ita hi, cum artem ſuam deſinerent, *perſonas* in templo Bacchi conſecrabant. Joannes Meurſ.

PETALISMUS vid. *Oſtraciſmus.*

PERTICA virga longior, menſuræq; genus eſt, quo Gromatici in menſurandis agris utebantur. Habebat *pertica* paſſus duos, peds decem, [unde & *decempeda* appellata] aliquando tamen & plures. Vid. Not. Buchner. in Epiſt. Plin. lib. 8. Ep. 2.

PETAURISTA, qui *petauri* inſtar in aëre pendet, modò ſe deorſum dejiciens, modò in altum ſubjiciens, qui flexu corporis multa, variaque edit ſchemata.

Petaurum eſt tabella ſeu pertica parieti affixa, ad quam veſpere columbæ & gallinæ

linæ ſe recipiunt, ut pernoctent. Matth. Martin.

PETITIONES vide. *Gladiatores.*

PETROMA. Eſt apud Pheneatas in Arcadia Cereris fanum, in quó magna ut apud Athenienſes celebrantur myſteria: prope fanum lapides eminent duo prægrandes apta ſimul commiſſione compacti: hoc πέτρωμα appellant, & in eodem ſacras literas, quibus ritus myſteriorum continentur, aſſervant, imminente Thesmophoricorum die lapides disjungunt, & commentarium eductum legunt, lectum in. priſtinâ ſede noctu reponunt. Tanto autem honore *petroma* venerantur, ut ad jusjurandum religioſe concipiant. Nicol. Cauſſin. Parab. Hiſt. libr. 5. cap. 63. Ex Pauſan. in Arcad.

PHALARICA, genus machinæ bellicæ, nempe velut ingens haſta ferro præmunita, quæ nervis tortilibus magno impetu mittebatur. Eraſm.

PHARMACUS. Athenienſes duos homines quotannis pro civibus luſtrandis jugulabant, unum pro maribus, alterum

pro fœminis; quos custodiâ publicâ adservatos, præclaréque enutritos, Thargiliis suis (festus is erat apud eos dies) solemni pomparum religione deducebant: homines autem illos *Pharmacos* appellabant, &c. Leon. lib. 3. cap. 33.

PHIDITIA apud Spartanos convivia publica, ad quæ quisque de suo symbolum conferens parcè satis ac frugaliter cœnabat ex legis præscripto.

PHONASCI appellantur Moderatores vocis, & Magistri, qui eam intorquere, mittere, lenire, exasperare docent & supplantare, de quo Tranquillus & cæteri.

Veteres Musicen etiam ad artem Oratoriam adhibuerunt & pronunciationis fuêre studiosissimi, ut ex Quintiliano imprimis, Cicerone & aliorum locis plurimis deprehendi potest. Nobis illa pronunciationis perfectio, quæ olim Romæ summa erat, planè hodiè ignoratur. Habebant enim olim certos Magistros, quos *Phonascos* appellabant, qui in recitando eos admonebant, quoties attollenda aut submittenda vox, quæ vitia in pronunciando, & quomodo corrigenda essent.

PHY-

PHYSICILLI vid. *Copides*.

PIACULUM ſacrificium, quo fit expiatio ſeu placatio Dei. Metonymicè etiam ſumitur pro gravi ſcelere & delicto, propter quod Deus expiandus eſt. Micræl.

PIGNUS 1. quod creditori ita datur ad ſecuritatem, ut ſatisfactione facta reſtituatur. 2. Depoſitum apud Sequeſtrum. 3. Symbolum & argumentum fidei datæ. Micræl.

PILA vid. *Piſtrinum*.

PILÆ Compitales. *Pilæ*, ut tradit Feſtus, erant viriles effigies, atque item muliebres ex lanâ, quæ compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quod hinc diem feſtum eſſe Deorum inferiorum putarent, quos vocant Lares; quibus tot pilæ, quot capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi, circa compita habitantes, ponebantur, ut eſſent his pilis & ſimulacris contenti, vivisque parcerent. Hisce verò imaginibus nullius omninò pretii veſtes circumponebantur. Proinde pannolàs etiam quandoque pilas Martialis vocat. Ab harum pilarum ſimilitudine quaſi ſecun-

dæ

dæ prodierunt feris objectæ. Primæ erant compitales, primæ dictæ, quia in principiis viarum, hoc est, compitis ponebantur. Secundæ, quæ feris objiciebantur, quæ primum è stramine fiebant. Martial. lib. 10. in Laurum.

Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas;
Nunc postquam desit ludere, prima pila est.

Rader. in Comment.

PILENTUM matronarum vehiculum fuit, quo matronæ castæ ferebantur. Liv. 5. ab Urb. cond.

PIETAS. Pietatis vox late patet, ejusque nomine officia comprehenduntur, quæ Deo, Patriæ, Parentibus, optimè meritis debemus. Ædem pietati eo loco Romani consecrârunt, quo mulier quædam matrem carceri inclusàm, ut fame necaretur, lacte suo clam aluit. Val. Max. lib. 5. c. 4.

PILEUS Insigne fuit libertatis, ipsamque libertatem significare, multis autoritatibus probari potest.

Apud Veteres capitis tegumenta valde diversa erant cum materiâ, tum formâ. Communissima fuisse videtur facta ex *lana*, & quidem *coacta*, qualia

lia ſunt & noſtra pilea, ad hunc usq; diem. Cum enim caput tanquam corporis pars ſuperior, pluviæ maximè expoſitum ſit, ne aqua eo facile penetraret & caput humidum redderet, quod ſanitati non parum noceret, talia tegumenta in illius tutelam excogitata ſunt, quæ arcendæ aquæ eſſent apta. Sed nullum aptius excogitari potuit, quam id, quod fieri ſolet ex lanâ coactili, unde etiam *pileus* dictus eſt. Nihil aliud eſt *pileus*, quam Græcor. πῖλος ſ. πίλιον. Græcorum autem πῖλος proprie dictus fit ex lanâ coactâ: eſt enim πιλόω *cogo* & *conſtippo*, quod ex Theophraſto aliisq; Medicis conſtat. Braun. l. 2. de V. S. H. c. 4.

Is apud Græcos nobilitatis indicium fuit, hique eâ de cauſa Ulyſſis caput pileatum fieri ſolitum autumant, quod magna ſcilicet ab utroque parente nobilitas illi obtigiſſet. Quod vero Caſtorum quoque capita pileata pingerentur, nil aliud ſibi velle tradunt, niſi ut indicio eſſet, eos fuiſſe Lacones. Hos verò pileatos pugnare, mos fuit, quo indomitum animum adverſus barbaros Reges & tyrannos ſignificatione libertatis oſtentarent.

Qui

Quique aliquot abhinc annis Venetias confugerunt Græci, extorres à Turcâ facti, nobilitatem suam & ingenuam libertatem unanimiter *pilei* illius *gestatione* profitentur. Pierius lib. 40. Hieroglyph. cap. 2.

Veteres Romani vulgari hoc capitis tegmine, quod *biretum*, seu *pileum* vocamus, non sunt usi, nudo capite incedentes, aut lacinia vestis illud velantes. Itaque nulli in veteribus Romanorum statuis: nulli in æneis quoque nummis pilei visuntur. Nulla quoque pilei, vel causiæ, ne apud Homerum quidem mentio: ut ita nudi capitis consvetudo à priscâ Græciâ, cui capitis operimenta usitata non fuere, ducta videatur. Turneb. lib. 8. cap. 4. Item Notæ in 1. Tom. Pancirolli rerum memorabilium.

PILEATUS Servus. Si hoc insigni venderentur servi, venditor vitium aut morbum non præstabat, vel quia hoc signo liberali ingenio, fide & animo sine vitio esse credebantur, vel quia sive boni sive mali essent, venditor ita vendebat emtoris periculo. Cæteri servi aperto capite venibant, & tantum concedebatur pileus,

us, cùm libertate donarentur. Hinc *ad pileum vocare* est manumittere & asserere in libertatem. Cum autem pileum acciperent, radebantur. Ita apud Plautum in Amph. Sosia: *Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum.* Plutarch. in T. Q. Flamineo: *Sicuti mos est servis, quando in libertatem asseruntur, radi capite & pilea gestare.* Cur autem raderentur, ostendit Nonius: *Qui*, inquit, *liberi fiebant, eâ causâ calvi erant, quòd tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.* De naufragis idem testatur Lucianus in Hermotimo, & Artem. lib. 1. c. 23. Atque hoc, teste Servio, fiebat in templo Feroniæ, quæ erat libertorum Dea.

Quanquam autem *pileus* libertatis insigne erat, non tamen Romani cives utebantur. Nam utplurimùm aperto capite incedebant, idq; hoc argumento probatur, quòd nummi omnes veteres, statuǽque sunt sine tegmine. Ita gratissimum J. Cæsari fuit jus laureæ gestandæ ad occultandum calvitium. Si pilei fuissent in usu, quid opus laureâ? In Sacris tamen, ludis, Saturnalibus, peregrinatione vel militiâ etiam te-

gumento vel pileo usi, vel etian ægri capiti firmando. Ovidius:

Arguat & macies animum, nec turpe putaris,
Pileolum nitidis imposuisse comis.

Vel senes debiliores, quod ex Varrone colligi videtur. In manumissionibus itaque potissimum pileus in usu. In morte Neronis plebs pileata, teste Suetonio, per totam urbem discurrit. Quorsum tum pileata, si pilei fuissent in usu? Audi Sextum Aureolum: *Omnis Roma adeò interitu Neronis exultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sævo Domino exemta triumpharet.* Si pileis autem non usi promiscuè Romani, cur Consule adventante equo desilire, caput aperire, moris fuit? Hoc intelligendum putat Lipsius, quòd laciniâ togæ caput tectum fuerit. Vide eundem Lipsium lib. de Amphitheatro cap. 20.

Pilei autem sine margine erant, petasi marginati. Atque eos ex ovium pellibus densos ac villosos fuisse affirmat Athenæus lib. 5. Δειπνοσ. Vide A. Gell. Noct. Attic. lib. 7. cap. 4.

Pilea inter munera Saturnalitia erant. Martialis:

Si

Si possem, totas cuperem misisse lacernas,
Nunc tantùm capiti munera mitto tuo.

PILUM. Polybius lib. 6. quo describit Romanorum castrametationem. *Pili*, inquit, *telum habet lignum longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum unius spithamæ, palmi, inquam majoris, eò usque attenuatum & acutum, ut mox primum post tactum necessariò flectatur, sitque inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum* Livius 1. Decad. lib. 9. *Pilum*, inquit, *haud paulò quàm hasta vehementius ictu missuque telum.* Dionysius Halicarnass. lib. 5. *Pila*, inquit, *tela sunt Romanorum, quæ primo congressu ejaculantur, oblonga hastilia crassamento; quod manum compleat, tripedaneis ferreis utrinque præfixa verriculis, unà cum ferro longitudine paria mediocribus jaculis.* At Vegetius libr. 2. c. 15. *Item bina missilia, unum majus, ferro triangulo, unciarum novem, hastilipedum quinque & semis, quod* pilum *vocabant, nunc* spiculum *dicitur.* Et paulò post, *Aliud minus, ferro triangulo unciarum quinque, hastili trium pedum & semis, quod tunc Verriculum tunc Verutum dicitur.* Tiraquel. in Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

PISTRINUM locus, in quo farina molebatur. Antiquitus enim ante inventum molarum usum in pilâ frumenta comminuebantur. Veteres enim ante usum molarum, in vasis lapideis concavis, quæ PILÆ vocabantur, frumentum igne prius tostum terebant, ut Virgil. scribit,

Et torrere parant flammis & frangere saxo.

Molæ postea repertæ, quarum quædam asinariæ, aliæ trusatiles, quæ deteriorum mancipiorum opera versabantur, non sine ingenti labore. Unde factum, ut *Pistrinum* pro loco fatigationis pleno; & pro negotio molesto viresque conficiente ponatur. Pistrini elegans descriptio legitur apud Apul.

PITHOEGIA Festa fuerunt Atheniensium, quibus, postquam mustum deferbuisset, solemni die, puta Novembris undecimo aperiebant dolia, libabant Jovi, amicis, & servis impertiebantur, precati antea, ut usus vini, & prima illa libatio omnibus foret salutaris. Nicol. Caussin. Parab. hist. lib. 5. cap. 65.

PLACENTÆ. Apud veteres præcipuæ ciborum deliciæ fuerunt *placentæ.* Et in hoc maximè genere cupediarum

rum gulæ dediti homines olim deprehensi. Epicureus quidam Eicadastes pro mortuo dicitur elatus, placentâ fervente devoratâ. Horatius.

- - *Parcius infra*

Ridiculus totas simul absorbere placentas.

Propterea dicebat Bion, *Non posse aliquem omnibus placere, nisi placenta fieret, aut vinum Tasium.* Hieronymus ad Marcellam: *Non sunt suaves epulæ, quæ non placentam redolent.* Animadvers. in Athen. lib. 3. c. 29. Casaub.

PLAGIUM est, cùm quis hominem ingenuum vel libertinum invitum celat, vinctum habet, dolove malo sciens emit, aut in earum rerum aliquâ socius est, vel cum servo alieno, servæque persuasit, ut à Domino, Dominâve fugeret, servum, servamve invito Domino Dominave celavit, vinctum habuit, dolo malo sciens emit, quive in eâ re socius fuit. Hinc

PLAGIARII sunt, qui furantur homines, liberos vel servos, eosque vendunt, aut iis persuadent, ut à parentibus aut Dominis suis aufugiant.

Plagiarius etiam dicitur is, qui plagas & vulnera infert. Calvin.

PLAGULÆ, autore Turnebo lib. 1, cap. 29. adverſ. vela ſunt & textilia, quibus lecticæ & lecti intendebantur aut involvebantur. Ibid.

PLAUSUS apud veteres in ſacris certaminibus pro præmio fuit ante inventas coronas. Clem. Alexandr. libr. 2. Pædag. *In certaminibus autem primum fuit donum athletarum; ſecundò, plauſus & excitatio. tertiò, foliorum ſparſio; ultima autem fuit corona, cùm Græciæ poſt tempora Medica magna ad delicias facta eſſet acceſſio.* Cerda in Virg. Æneid. 5.

Quod milites initio pugnæ facere conſuerunt, togati, fabulâ vel concione, quam ſpectatum vel auditum veniſſent, abſolutâ, ſcabellarum crepitum faciebant, eo ſcilicet plauſu actoribus gratulati. Hinc apud Marc. Tullium Oratione pro Cælio legas: *Deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* *Pier. Hieroglyphic. lib. 42. cap. 47.*

PLEBISCITUM placitum populi per ſuffragia plebis à tribuno collecta, & lex, quam plebs tribuno rogante conſtituit. Micræl.

Apud Romanos, auctore Romulo, duos

os in ordines populus erat divisus, teste Dionysio Halicarn. lib. 2. *Plebeium* & *Senatorium*. Hujus progenies erant Patricii seu Optimates, qui dicebantur ab Atheniensibus (apud quos auctore Plutarcho in Thes. similis erat distinctio) εὐπάτριδες, & poterant exercere militaria officia, Magistratus gerere, sacra facere, jus dicere, administrare publica, urbanaque negotia.

Plebeiis, quos Græci δημοτικοὺς nominabant, licebat milites esse, agros curare, pecus depascere, & reliquas artes factitare. Lege Alexandr. ab Alexandr. Gen. dier. lib. 5. cap. 8. Laurent. Beyerlinck. in Theatro.

Plebs ait Justin. à *populo* eo differt, quo species à genere: Nam appellatione *populi*, universi cives significantur, connumeratis etiam patritiis & Senatoribus. *Plebis* autem appellatione sine Patriciis & Senatoribus cæteri cives sic significantur. Hotom. Interim tamen nemo putet, plebem esse populi speciem: nam potius pars est. Calvin.

Plebis.

Plebiscitum & *Lex* triplici modo inter se differunt. *Lex* namque à majoribus Magistratibus ferebatur; *Plebiscitum* à minore & solo Tribuno plebis. *Illa* ab universo populo; *hoc* à plebe tantùm jubebatur. *Illa* comitiis omnibus sive centuriatis, sive tributis: *hoc* verò tributis tantùm. Calv.

PLUTEUS vid. *Machina.*

POASTRIÆ sunt mulieres sarritrices, quæ herbas nocivas de hortis tollunt vel segetibus. Hesychius scribit, *omnes in universum mulieres, quæ opus ruri faciunt mercede conductæ, sic fuisse vocitatas.* Et Pollux docet πάστριον veteres appellasse *sarculum*, aut aliud sarritionis instrumentum, quod ejus ætate vocabatur χορτοκόπιον. Casaub. in Athen. lib. 3. cap. 27.

POCULA. Eorum generum varia, præcipuè tria: *Sextans*, quo temperati & valetudinarii; *Deunx*, quo intemperati & bibaces. *Triens*, quo plerique in quotidiano victu utebantur. In convivio paulò hilariore à parvis calicibus inchoantes in capaciores desinebant; à summo ad imum bibebant. Solenne & hoc erat, ut Divo alicui libarent, hoc est, ex paterà levi-

*(v)*iter vini aliquid defunderent vel in mensam, vel in terram, quandoque in honorem amici aut amicæ tot cyathos educebant, quot literæ in ipsius essent nomine. Unde Martialis.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.

Verborum formula hæc erat: *Bene nos, bene vos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium; bibe, si bibis.* Plut. in Sticho.

In conviviis legitimis sacra pocula tria fuisse legimus. *Primum* Διὸς σωτῆρος, *Jovis Sospitatoris*, quod poculum fuisse temperatum alii contendunt, idque boni ominis & valetudinis gratiâ, ut meminissent mortales se hoc modo vinum bibentes servatum iri. *Alterum* poculum dictum ἀγαθοῦ δαίμονος, ubi alii intelligunt *bonum Genium*, alii *Bacchum lætitiæ datorem*, alii *bonam fortunam*. *Tertium* dixerunt ἑρμοῦ *Mercurii*, somni præsidis, quod & alii vocârunt πανσίλυπον, eò, quòd curas abigeret. Joseph. Laurent. l. 2. Polym. Diss. 19.

Poculorum materia diversis temporibus varia fuit.

1. *Pocula* fuère *fictilia*, potissimum ex terrâ Samiâ, quibus pauperes, ditesque usi

sunt, ea etiam in sacris adhibita Auson. Epigr. 8.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

2. *Fagina* vel *Oleagina* heroicis temporibus. Ovid. 3. Fastor.

Terra rubens Crater, pocula Fagus erat.

Virgilius Eclog. 3.

- - *pocula ponam fagina.*

3. *Pocula è bovinis cornibus* facta, unde τὸ κεράσαι, quod est aquæ vinum permiscere & craterem, quasi κερατῆρα ἀπὸ τοῦ κέρατος nonnulli dictum putant. Nonnus in Dionys.

Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.
Et poculum curvum habuit bovis cornu.

Nam & priscos homines ex bovinis cornibus bibere solitos tradit Athenæus lib. 11. cap. 8. in princ. *Unde*, inquit, *& cornutus Dionysius fingitur & taurus à compluribus poetis nuncupatur, atque taurinâ facie conspicitur in Cyrico.* Subdit & alia multa in eam rem, ex quibus intelliges & alios multos populos ita usos fuisse. Vid. Not. Tiraqu. in Alexand. lib. 5. cap.

4. *Vitrea*

4. *Vitrea.* Vitrum enim in deliciis olim non ſpernendis. Mart. l. 1. Epigr.

Baſſe bibis vitro.

Ideoque nepotibus præſertim in uſu. Vitrum hoc noſtro multò erat durius, ut flecti plicariq́ue poſſet, ſi qua fides Plinio habenda. Tale vitrum, quod terræ vi ſummâ alliſum, illæſum infractumq́ue manſit, Tiberio Principi ab Artifice oblatum ferunt, quem ille necari præcepit, ne ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent. Conf. Plin. libr. 36. cap. 26.

5. *Cryſtallina* tam prodigioſi precii, ut aurum gemmasq́ue ſuperarent. Hinc Vedius Pollio, cum apud eum cœnaret Auguſtus & unus è ſervis Cryſtallinum fregiſſet, eum ad mortem rapi juſſit, nec vulgari morte periturum, murænis eum objici juſſit: at puer è manibus evaſit & ad pedes Cæſaris accidit, nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret, nec eſca fieret; motus autem novitate crudelitatis Cæſar & illum mitti & cryſtallina omnia coram ſe frangi mandavit. Sen. l. 3. de ira cap. 40.

6. *Mur-*

6. *Murrhina*, luxurioſis nepotum conviviis adhibita, è *murrhâ* facta, lapidis genere, cùm odoris præſtantia commendabili, tùm colorum varietate inſigni, Juv. Sat. 6.

Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſ9
Murrhina.

7 *Electrina* Magnatibus in precio.

8. *Argentea.* Et continentiores quidem argentum purum, nulliſque emblematis cælatum habere gaudebant; nepotes verò totos quandoque cenſus profundebant in mirabiles ſculpturas. Juven. Sat. 10.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus gladium contumque timebis,

9. *Aurea*, eaque ſæpe gemmis diſtincta precioſiſſimis, Juven. Sat. 10.

- - *Nulla aconita bibuntur*
Fictilibus; tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata & lato Setinum ardebit in auro.

Cælabantur etiam aurea pocula. Virgil. libr. 1. Æn.

- - *Cælataque in auro*
Fortia facta Patrum.

Vaſa autem auro ſolido facta admixtiſque gemmis decorata vocabant *Chryſendeta.*

10. *Ossa capitis humani* barbaris quibusdam gentibus pro poculis fuerunt, maximè hostis á se occisi cranio vel bovis corio tecto, vel inaurato poculo Scythæ aliæque feræ gentes utebantur. Ita Alböinus Longobardorum Rex primus in Italiâ, Regis à se prælio cæsi filiam Rosimundam uxorem duxerat, ex Soceri verò calvariâ, more gentis, poculum fecerat, quo in solennioribus epulis usus, vino gravior aliquando Rosimundam coëgerat, ut eâdem calvariâ biberet, adjiciens: *Propina patri!* Ea verò indignitatem hanc & contumeliam ulta est, juvene quodam in ejus necem impulso pactione nuptiarum. Pulchrè Seneca luxuriæ hostis acerrimus Ep. 119. *Natura hoc unum jubet, sitim extingui, utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an manus concava, nihil refert.* Hæc & alia scitu digna lectuque jucunda de poculis habet Th. Dempst. in Paralip. ad l. 5, Antiq. Rosin. c. 30.

In conviviis publicis refert Alex. Trallianus, institutum esse, ut contrariis poculis uterentur: in principio scilicet minutis, in fine verò amplioribus. Ut enim epularum gratiâ, in quibus frequentius bibere

decebat, veteres crebrius potarent, à parvis calicibus inchoabant, & in capaciores desinebant: quippe cum parva satis implere, ubi potare liberalissimè liberet, nequirent. Quod si ab amplioribus incepissent, ocyus repleri necesse erat, & subinde minus potare: siquidem natura à largo protinus haustu accepto veluti expleta, copiam omnem subsequentem contemnit. Ex adverso si parvis poculis adsveta paulatim ampliora exhibeantur, facile copiam quamcunque sustinet. Mercurial. Variar. lib. 1, cap. 22. Anacharsis tamen mirari se ajebat, cur Græci initio convivii minoribus, cùm verò saturati essent, majoribus poculis uterentur. Laërt.

In magno olim pretio fuêre pocula. Etenim Principes inter cæteram regiam supellectilem, nescio, quâ cupiditate ferebantur in pocula. Scribit Dur. Samius apud Athen. lib. 6. *Philippum patrem Alexandri Magni habuisse poculum aureum tanto in pretio, ut illud semper sub pulvino asservaret*, προσκεφάλαιον. Cerda in Virg. Æn. 9. p. 319.

PODERES, ut Eucherius, est sacerdotalis vestis linea, corpori penitus

adſtricta, eademque talaris, ἀπὸ τῶν ποδῶν appellata ποδήρης, quæ & ſubucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ veſtimentis aliis ſubjiciebatur, doctrinam ſacratiorem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Pierius lib.40.Hieroglyphicor.cap.20.

POENA. Pœnæ criminibus debitæ ſunt *capitales*, vel *non capitales*. *Capitales pœnæ* ipſam adimunt vitam; quarum ſpecies: *Suſpenſio, Crematio, Decollatio, Lapidatio, Submerſio, Diſſectio membrorum, Excoriatio, Dejectio è rupe Tarpeja, Damnatio ad beſtias, Confractio membrorum per rotam.*

Eſt autem *ſuſpenſio* vel de *cruce*, quæ in ſpecie *crucifixio* appellatur, vel de *furcâ*, vel de *arbore*, vel de periculo in ſpecie ſic dicto.

Crux olim, cujus variæ fuerunt figuræ: (uſitatiſſima tamen literæ T.) gentilibus uſitata fuit, non autem populo Iſraëlitico. Unde gentilitio more Chriſtus à Judæis crucifixus eſt. Carthaginenſes ſuos Duces pravo conſilio bella gerentes, etſi proſpera fortuna ſecuta eſſet, in crucem egerunt. Alexander M. duo millia Tyriorum crucifixit. Titus in obſidione Hieroſolym. quingentos & plures in ſingulos dies crucibus affixit.

Furca

Furca & ipsa crux appellari solet: cui tamen dissimilis figurâ fuit: qualis est literæ majoris Græcæ Y. Eadem tamen erat supplicii ratio.

De *arboribus* olim Germani proditores & transfugas suspenderunt. In Germaniâ modò suspensio de patibulo supra modum triste & ignominiosum est supplicium; quia cadavera non demittuntur è patibulis, sed corvis dilanianda permittuntur; Unde ossa sæpius in plures annos de infami trabe pendent.

Cremabantur olim servi, qui Dominorum saluti erant insidiati, nec non incendiarii. Hodiè Veneficæ, Incendiarii & Sodomitæ.

Decollatio apud Romanos fiebat securi, hodie gladio fit, quæ aliquando honestior censetur.

Lapidatio apud Judæos in usu erat, & irrogabatur adulteris, blasphemis & filiis immorigeris.

Submersio parricidarum pœna esse solet; alicubi & Sodomitarum.

Dissectio membrorum vel etiam distractio per equos hodie in Europâ quoque usitata est adversus proditores, & læsæ Majestatis reos.

Exco-

Excoriatio vivorum Ægyptiis olim in uſu erat contra graſſatores & latrones. Olim ſub Perſarum Rege Barthane plurimi quoque Chriſtianorum vivi ſunt excoriati.

Dejectio & præcipitatio de rupe Tarpeja apud Romanos recepta fuit, adverſus eos, qui falſum dixiſſent teſtimonium.

Damnatio ad beſtias, quibus dilaniandi & devorandi objiciuntur rei, apud Romanos & Græcos in uſu fuit.

Rotis hodie membra confringuntur latronibus. Vid. *Rotæ ſupplicium.*

Inter *capitales pœnas* olim quoque erant:

Omnium venarum ſectio, quâ ſine magnis cruciatibus, veluti animi deliquio extinguebantur rei: quo ſupplicii genere ajunt ſublatum Senecam præceptorem à Nerone diſcipulo.

Hauſtus veneni, apud Græcos potiſſimum uſitatus, quo ſublatus ab Athenienſibus injuſtâ de causâ Socrates.

Non capitales ſunt, quæ vitam non adimunt, ſed vel famam vel libertatem, vel facultates, vel aliquam corporis partem, vel plura ſimul: quò pertinet quoque ignominioſa læſio partis alicujus, Damnatio in

metallum, in exilium, in perpetuos carceres, in opus publicum perpetuum.

Varia corporis membra in pœnam delictorum truncari & abſcindi ſolebat. Olim *pes* abſcindebatur ſervo transfugæ. *Nares* apud Longobardos furibus; Apud Ægyptios adulteris, quibus & *aures* præcidi ſolebant. *Lingva* blaſphemis, *Digiti* perjuris, *manus* violatoribus pacis, prætertim aulicæ. *Facultates* adimuntur per mulctam pecuniariam & bonorum confiſcationem. M. Fr. Wendel. Inſtit. Polit. lib. 2. cap. 13.

POMOERIUM locus erat tàm intra, quàm extra murum urbis, quem antiqui in condendis muribus augurato conſecrabant, neque in illo ullum fieri ædificium patiebantur: dictum autem eſt *pomœrium*, ùt autor eſt Varro lib. 4. de Ling. Lat. quaſi *poſt mœrium*. Nam quem antiqui *mœrum* dicebant, nos *murum* dicimus: unde ita nonnulli apud Virgil. legunt lib. 10. Æn.

- - *Atque ipſis prælia miſcent,*
Aggeribus mœrorum.

Vid. Lexic. Jur. Calvini.

POMORUM verbum generale est omnium fructuum, qui ex arbore elui apti proveniunt, sive molles, sive duri sunt: pomorumque appellatione nuces & ficus & uvæ duracinæ & purpureæ, & quæ ejusdem generis sunt, quas non vini causâ habemus, quas Græci τρώξιμος appellant, continentur. Calvin.

PONTIFEX. *Pontifices* sacris præerant, vel à *ponte*, quia pons sublicius in Tiberi primùm ab his factus & sæpè restitutus; (Is enim ligneus erat, & nullo ære aut ferro compactus, quem sacrum illi æstimarunt: ita ut in aliqua parte labentem, nisi cæsâ victimâ & sacrificio perfecto, reficere non liceret: diuque Romæ lignei pontes fuere, donec post intervalla temporum ab Æmylio Quæstore lapideus constructus fuit. Vid. Alex. ab Alex. Gen. dier. libr. 2. cap. 8.) vel à *posse* & *facere*, quòd *possint facere* i.e. *sacrificare*; vel *Pontifex* dictus, quasi *pontem* vel *iter* aliis *faciens.* Sanè debebat supra mundi fluenta pontem facere Sacerdos populo transituro in cœlestem Chananæam.

Penes hos ſummum jus erat de ſacris judicandi, neque ipſi ulli poteſtati erant obnoxii. Hi lautiſſimè vivebant; unde *Pontificum cœnæ* dicuntur lautæ & opiparæ. Dividebantur in Majores & Minores: & ſummus eorum *Pontifex Maximus* vocabatur; qui maximarum rerum, quæ ad ſacra tàm privata, quàm publica pertinebant, judex erat. Hildebr.

Hanc dignitatem ſibi ſolis vindicarunt Imperatores ab Auguſto usque ad Gratianum: ut ſimul & religionum ceremoniis, & legibus civilibus præpoſiti omne poteſtatis jus complecterentur. Cæterùm *Pontifices* dicebantur *ſacerdotes* omnes: Unde *Pontifex Solis*, *Pontifex Vulcani*, *Pontifices Veſtæ*, id eſt, ſacerdotes, in veteribus inſcriptionibus reperiuntur. *Maximus* igitur, qui præerat, ad reliquorum differentiam, appellabatur. A. Buchner. Not. in epiſt. Plin 11. lib. 4.

Pontificis maximi erat de Veſtalibus cognoſcere, & crimina illarum vindicare. Hoc ſolenne ſupplicium Veſtalibus erat, quæ probri, ſeu pollutæ virginitatis compertæ eſſent, *ut defoderentur vivæ*. Plin.

Epiſt.

Epist. 11. l. 4. Consule Lipsium de Vestâ & Vestalibus Syntagm. cap. 13. & Jac. Gutherium lib. 2. de veteri jure Pontificio c. 2.

POPÆ Sacerdotum ministri, qui succincti & laureati & ad ilia usque nudi victimas ligabant & ad aras adductas feriebāt.

PORRICERE est verbum solenne sacrificantibus ex disciplinâ haruspicum & præcepto Pontificum: Quemadmodum Macrobius ait lib. 3. ubi & Maronem eo usum docet, sed imperitiâ Grammaticorum ac librariorum pro voce *porriciam* scribi in quibusdam libris *projiciam*. Locus est lib. 5. Æneid. - - *Extaque salsos*
Porriciam in fluctus.

PORTA ab aratro portando dicta est, quòd in eo loco coloniæ deductor & conditor, subjunctis vaccâ & tauro, aratrum, quo urbem designat, suspendit manu, ne imprimat sulcos, ubi civitatis aditus relinquendi sunt. Donat. in Terent. Adel. Act. 4. scen. 2.

PORTICUS olim ædificia erant propter imbres evitandos, & propter umbram captandam, atque deambulationem ædificata, autore Festo: Et Romæ in singu-

lis regionibus aliquot erant porticus. Willich.

Mendicos, ut & veterum Philosophorum multos, in porticibus templorum, aliisq; locis publicis habitasse constat. Vide Is. Casaub. in Sueton. J. Cæs. cap. 39.

PORTITORES dicuntur, qui Principis jussu, aut Magistratus cujuspiam in portu ideò sedent, ut à præternavigantibus vectigal exigent & rebus inferendis & efferendis operam dent.

More veterum magistri tributorum, id est, publicani, operam in portu dabant, inferendarum & efferendarum rerum vectigal exigentes. Not. Var. in Ter. Phorm. Act. 1. Scen. 2.

PORTORIUM vid. *Vectigal.*

POSCIMUS imperiosè,
POSTULAMUS jure,
PETIMUS precariò,
ROGAMUS per amicitiam,
OBSECRAMUS per sacra,
FLAGITAMUS mutuo verborum strepitu. Prat.

POSITI dicebantur mortui, efferendi ad tumulum. Virgil. l. 2. Æn. vers. 644.

Sic

Sic ô sic positum affati discedite corpus.
Plinius lib. 21. cap. 3. *Ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur.* Ovidius in Epist. Ariadnæ:
Nec positos artus unget amica manus.
De la Cerda Notis in libr. 2. Æneid. pag. 246.

POSSESSIO vid. *Ager.*

POSSIDERE vid. *Habere.*

POTARE vid. *Bibere.*

POSTERIORES appellantur, qui ultra trinepotes sunt & omnes in infinitum descendentes. Calvin.

POSTES vid. *Janua.*

POSTHUMI ii duntaxat dicuntur, qui post mortem patris nascuntur. Sic dicti, quod post humatum ac sepultum patrem nascantur. Calvin. Lexicon Jurid.

POSTULATIO, inquit Donatus, propriè est querela de eo, qui peccavit, apud alterum: *Expostulatio* apud illum ipsum, qui peccavit. Terentius Hecyrâ: *Neque lites ullæ inter eas, postulatio nunquam.* Calvinus Lexic. Juridic.

PRÆCONES varia peragebant. Adſtabant Quinqueviris menſariis, ut precia rerum venalium in auctionibus publicis nunciarent: Advocatis & Sacerdotibus, ut ſilentium pro concionibus patienter audiendis impetrarent: Comitiis ut tribus pro ferendis ſuffragiis ordine provocarent, & qui Magiſtratus novi creati eſſent, proclamarent. Senatoribus, ut illis, cùm leges ad populum recitabant, verba præformarent. Kipping.

Præconum munus erat præter cætera, concionem advocare, ſilentium indicere; cauſam & ſententiam dicturos citare. Itaque concione advocatâ, attentionem comparabat, audientiamque faciebant & ſibi, & aliis dicturis, hoc modo, εὐφημεῖτε, id eſt, *favete linguis*: ἀκούετε λαοὶ, id eſt, *audite cives, ſive populi.* Caſaub. in Athenæ. lib. 8. cap. 9 Sed in ſacris potius illo utebantur, & jubebant εὐφημεῖν, in edictis altero. In concione verò, in quâ de bello aut pace, & ſimilibus rebus conſultabatur, ita prædicabant: τίς ἀγορεύειν βούλεται, id eſt, *quis vult dicere?* Lamb. in Lucret. lib. 4.

PRÆFARI. Incipiebant veteres illi

li Orationes suas à Deorum precibus, & tunc dicebantur *præfari*. Vid. Cerda in Not. ad Virgil. Æn. 11. pag. 588.

PRÆFECTUS in Judiciis dicitur *præses*: militiâ terrestri, *Marescallus*, Feld-Herr; in militiâ classicâ *Ammiralius*; in archivo, *Cancellarius* & *Syndicus*; in Thesauris *Thesaurarius*. Micræl.

PRÆFECTUS urbis duplex fuit. *Extraordinarius* sub Regibus & Consulibus, qui, antequam Prætor est creatus, absente Magistratu, summum in Urbe imperium habuit. Talis etiam Præfectus Urbis deligebatur, Latinorum caussâ Urbe profectis Consulibus. *Ordinarius*, quem Mæcenatis consilio Augustus instituit, qui urbi præfuit & causas eas, quibus competeret provocatio capitalesque omnes, paucis exceptis, in Urbe & circa eam dijudicavit.

Præfectus ærarii ab Augusto constitutus, qui ærario militari, unde stipendia militi subministrabantur, præerat.

Præfectus Prætorio, qui militibus præerat, quos Imperator in sui custodiam elegerat. Horum præfectorum maxima fuit aucto-

ritas, è quibus etiam Imperatores interdum creati sunt. Moris erat, ut Imperatores Præfecto Prætorio lecto cingulum cum gladio daret; unde nata vox Trajani, cúm cingulum & ensem Præfecto donaret: *Ensem cape, eoque si rectè & è* Republ. *imperavero, pro me; sin minus, in me utere.*

Præfectus frumenti populo dividendi ab Augusto institutus, cum benevolentiæ captandæ ergò frequenter populo, maximè in annonæ difficultatibus, frumentum distribueret.

Præfectus vigilum, qui de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus cognoscebat, per totam noctem vigilabat & calceatus oberrabat, admonens inquilinos, ne ipsorum negligentiâ incendia orirentur, interdum eum, qui ignem negligentius habuerat, fustibus castigabat. Vigilibus Tribuni præerant, Tribunis superior Præfectus Vigilum.

Præfectus annonæ Magistratus Extraordinarius, cujus munus erat videre, ne plebs annonæ caritate laboraret, ut pondere etiam justo ac mundicia debita panis veniret.

Præfectus sive *Tribunus Celerum*, qui E-

quiti-

quitibus præerat, & secundum à Rege locum tenebat. *Celeres* erant trecenti ex nobilissimis familiis delecti juvenes, qui circa Regem erant, ipsum hastati per Urbem sectabantur, jussi ministeria exequebantur; in militiâ *Antesignani*, qui primi pugnam inirent & postremi se reciperent. *Celeres* dicti vel à celeritate ministerii, vel à Duce suo, Germani eos appellare possent **die Hetschirer.**

Præfectus Equitum, qui equitum alæ præerat.

Præfectus Legionis, cujus Tribuni & Centuriones cæterique milites præcepta observabant, qui & absente Legato potestatem maximam habebat.

Præfectus Sociûm, qui auxiliis, id est, copiis Sociorum præpositus erat.

Præfectus castrorum, ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio pertinebat. Hic, ne qua tormentorum genera deessent, utque ægri contubernales probè tractarentur, procurabat.

Præfectus fabrûm, qui fabris ferrariis, tignariis, carpentariis, cæterisque artificibus, qui exercitum sequebantur, præerat.

PRÆ-

PRÆFECTURÆ dicebantur oppida quædam Italiæ, quorum incolæ cives Romani erant; hoc tamen á municipiis differebant, quòd non ſuis legibus utebantur, nec ullos è ſuo corpore Magiſtratus, ut coloni, creare poterant: ſed á Magiſtratibus, qui Româ quotanni mittebantur, Romanis legibus regebantur, ii Magiſtratus *præfecti* dicebantur, unde nomen *Præfecturæ*. Calvin.

PRÆFERICULUM vas æneum ſine anſâ patens, quod præferre in ſacrificiis ſolebant.

PRÆFICÆ mulieres olim erant, quæ conducebantur ad hoc, ut ante domum mortui laudes ejus canerent, quemadmodum teſtatur Varro citans illud Nævii: *Hæc quidem hercle opinor præfica eſt, nam mortuos collaudat.* Vid. Ræward. ad leges 12. tab. cap. 15. de ſumtib. fun.

Feſtus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ.*

Nonius Marcellus: *Præficæ dicebantur apud Veteres, quæ adhiberi ſolent funeri, mercede*

cede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent.

Declarat & Lucilius lib. 22. in verbis à Nonio adductis:

- - - Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ
Multo, & capillos scindunt, & clamant magis.

Quos etiam respexit Nævius in Freto:

- - - Hæc quidem
Mehercle, opinor, Præfica est, sic mortuum
Collaudat.

Not. in A. Gell. lib. 18. cap, 7.

PRÆFISCINI. Effascinatio vel incantatio fiebat lingvâ, visu, tactu. Si quæ autem impensius laudarentur, fascino obnoxia credebantur. Virgilius:

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingva futuro.

Qui itaque alium laudabant, addebant *præfiscini*, vel *præfiscine*, id est, sine fascino; ut testarentur, non se fascinandi, sed laudandi animo, sine ullo livore, candideque loqui. Qui tamen laudabatur, ei credebant nihil laudationem nocituram, si amuleto quodam præmunitus esset. Præterea super-

stitio

ſtitio veterum finitum numerum obnoxium faſcino credebat; unde Catullus Epigr. 7.

Tam te baſia multa baſiare
Veſano ſatis & ſuper Catullo eſt:
Quæ nec pernumerare curioſi
Poſſint, nec mala faſcinare lingua.

Quod uti vitarent, præfiſcini verbum addebant, quo omnem invidiam amolirentur. Not. in Gell. libr. 9. cap. 4. Vide *Faſcinum*.

PRÆGUSTATORES apud Romanos erant, qui cibos, potumq; vel priusquam inferebantur, prægustabant, vel poſtquam jam triclinio menſæve illati fuerant. Fuitque ea conſvetudo antiqua tam Græcis, quàm Latinis uſitata apud viros principes, propter veneni ſuſpicionem. Eâque ratione factum, ut Principes fidiſſimos miniſtros ab epulis ſemper habeant, qui cibum menſæ impoſitum & diſſectum prægustent. Imò quod in plerisque aulis obſervatur, canem ſecum adducunt, cui fruſta prægustata objiciunt. Laurentius Beyerlinck.

PRÆLIUM vid. *Bellum.*

Moris

Moris fuit olim, ut igniferi acies, priusquam committeretur prælium, præcederent gestantes faces: quibus conjectis in medium, signum erat conserendi prælii. Vid. Interpr. Eurip. in Phœnissis.

PRÆMIUM, quod loco mercedis datur pro rectè factis: cui opponitur pœna.

PRECIUM est, quod pro re venditâ solvitur.

PRÆSUMTIO Plinio & aliis sequioris ævi Scriptoribus, est fiducia certa animi, quâ in futurum nobis tam firmiter ac indubitatè promittimus aliquid, ut jam præsumere, seu ante capere, & licet spe ac cogitatione tantùm, frui videamur. Vid. Not. Buchner. in Plin. Epist. 3. libr. 9.

PRÆTEXTA. Hujus origo & quomodo usurpari cœperit à pueris. Tullus Hostilius Rex Romanorum III. debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresque & togam pictam atque prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus, ut Romæ haberentur, instituit. Sed prætextum illo seculo puerulis non usurpat ætas. Erat enim, ut cætera, quæ

enume-

enumeravi, honoris habitus. Sed postea Tarquinius Demarati exulis Corinthii filius Priscus; quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, Rex tertius ab Hostilio, quintus à Romulo, de Sabinis egit triumphum. Quo bello filium suum, annos 14. natum, quòd hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & bullâ aureâ prætextâque donavit: insigniens puerum ultra annos fortem, præmiis virilitatis & honoris. Nam sicut *prætexta* magistratuum, ita

BULLA gestamen erat triumphantium: quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobilium usurparentur: ad omen & vota conciliandæ virtutis: ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Alii putant, eundem Priscum, cum is statum civium solertia providi Principis ordinaret, cultum quoque ingenuorum puerorum inter præcipua duxisse; instituisseque, ut patricii bullâ aureâ cum togâ, cui purpura prætexitur, uterentur: dun-

taxat

taxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum. Cæteris autem, ut prætextâ tantùm uterentur, indultum: Sed usq; ad eos, quorum parentes equo stipendia justa meruissent. Libertinis verò nullo jure uti prætextis licebat: ac multò minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea libertinorum quoque filiis prætexta concessa est, ex causâ tali, quam M. Lælius augur refert: qui bello Punico secundo duumviros dicit ex Senatusconsulto, propter multa prodigia, libros Sibyllinos adisse, & inspectis his nunciasse in Capitolio supplicandum, lectisterniumq; ex collatâ stipe faciendum: ita ut libertinæ quoque, quæ longâ veste uterentur, in eam rem pecuniam subministrarent. Aucta igitur obsecratio, pueris ingenuis, itemque libertinis, sed & virginibus patrimis, matrimisque pronunciantibus carmen. Ex quo concessum, ut libertinorum quoque filii, qui ex justâ duntaxat matrefamilias nati fuissent, togam prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent.

Verrius Flac. ait: *Cùm populus Romanus*

peſtilentiâ laboraret, eſſetque reſponſum, id accidere, quòd Dii deſpicerentur, anxiam urbem fuiſſe, quia non intelligeretur oraculum: eveniſſeque, ut Cirenſium die puer de cœnaculo pompam ſupernè deſpiceret, & patri referret, quo ordine ſecreta ſacrorum in arcâ (pilento impoſita, antiquus codex. Erat autem pilentum vehiculum penſile) pilenti compoſita vidiſſet. Qui cùm rem geſtam Senatui nunciaſſet, placuiſſe, velari loca illa, quà pompa veheretur, atque ita peſte ſedatâ, puerum, qui ambiguitatem ſortis abſolverat, togæ & prætextæ uſum munus impetraviſſe.

Vetuſtatis peritiſſimi referunt, in raptu Sabinarum, unam mulierum nomine Herſiliæ, dum adhæreret filiæ, ſimul raptam. Quam cum Romulus Hoſto cuidam ex agro Latino, qui in aſylum ejus confugerat, virtute conſpicuo uxorem dediſſet, natum ex eâ puerum, antequam ulla alia Sabinarum partum ederet; eumque quòd primus eſſet in hoſtico procreatus, Hoſtum Hoſtilium à matre vocitatum, & eundem à Romulo bullâ aureâ ac prætextâ inſignibus honoratum. Is enim cùm raptas ad conſolandum vocaſſet, ſpopondiſſe fertur,

tur, se ejus infanti, quæ prima sibi civem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. Nonnulli credunt, ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent: quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Togam quoque prætextam his additam, ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur.

Prætextam nonnulli putant togam fuisse, quæ ad talos usque produceretur, dictam, quod in ea purpura prætexeretur. Per eam honorem intelligebant, qui esset cuipiam habitus: honestorum enim prætexta erat, ait Pædianus, toga viliorum. Alii nomine hoc purpuream quandam fasciam valdè latam intelligunt, quæ tamen multipliciter plicata in angustum contraheretur, atque ita supra alia vestimenta nunc ab humeris, nunc à pectore in fasciæ modum circumduceretur, nunc ejus capita utrimque ab humeris in pectus demitterentur: cujus generis amicula Romæ plerisque antiquorum statuis inducta conspicias. Pier. libr. 40. Hierogl. cap. 40.

Prætextati, ut dictum est, Magistratus incedebant. Sed cum civem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant prætextam, eamque perversam induebant, id est, partem illius floridiorem ac nitidiorem introrsus ad se vertebant, mœroris significandi gratiâ. Vide Valer. Max. de C. Marco.

PRÆTEXTATA verba à Sexto lib. 17. dicuntur, quæ nihil obscœnitatis habent. Quod ipsum & Vectius prætextatus apud Macrobium videtur probare. Sicut & *prætexatæ fabulæ* apud antiquos celebres, quibus præcepta & monitiones ad optimos mores traderentur. Calvin.

Verba prætextata dici à prætextatis fabulis existimat Turnebus, in quibus fœdissima & turpissima dicta erant & argumenta. Verùm Josephus Scaliger prætextatas fabulas inter tragœdias recenset, easque dicit gravissimis Personis, & cothurno, non socco idoneas esse. Nullus itaque hic locus fuerit verbis obscœnis & ludicris. Sed Donatus ad Prologum Adelphorum conjungit fabulam *tabernariam*, *prætextam*, *crepidatam* & *Attellanam*. Festus aliam pro-

po-

ponit interpretationem his verbis: *Prætextatum* (*legitur quoque prætextum*) *sermonem quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obscœno verbo uti. Alii, quod nubentibus depositis prætextis à multitudine puerorum obscœna clamentur.*

Posterius magis placet. Pueri enim in nuptiis Fescenninas locutiones & obscœnos jocos jactabant, & ipsi quoque *prætextati* erant. Unde forsan prætextata verba dicta sunt. Dicit Festus, *depositis prætextis à multitudine puerorum obscœna clamari.* Notandum, quod virgines nuptiarum tempore *prætextam* deponerent, quam Fortunæ Virginali offerebant. Hinc Arnobius: *Virginum togulas Fortunam defertis ad Virginalem.* Not. in A. Gell. l. 9. c. 10.

PRÆTORES post Consules apud Romanos eminuerunt. Quia enim Consules domi quidem morbis, foris bello impediri poterant, nec esset, qui jus diceret, Regum exemplo, qui in bellum profecturi, ne urbs sine imperio esset, loco suo urbis præfectum designabant, voluerunt Prætores constituere duos, *Urbanum* unum, qui civibus Romanis jus diceret,

Peregrinum alterum, qui Latinis, advenisq; jus explicaret. Numerus prætorum eſt auctus, poſtquam bello victis populis dari debebant Magiſtratus à victore populo, itaque Prætores multi in Regionibus Europæ, Aſiæ, Africæ & Inſularum, qui Proconſulibus ampliſſimorum Regnorum Senatus nomine Præfecturam gerentibus ſuberant, ut cùm Prætor Judeæ ſuberat Proconſuli Syriæ. *Prætores* ibant in publico ſex lictoribus comitati, qui totidem faſces & ſecures ferebant, uti refert Plutarchus in vitâ Æmilii Macedonici. Kipping. Calvin.

PRÆTORIUM vid. *Caſtrametatio.*

PRÆVARICARI verbum dupliciter accipitur in jure civili. *Prævaricari* imprimis dicitur, qui veras probationes & accuſationes omittit, falſas probationes & rei defenſiones admittit & colludit cum reo. Altera ſignificatio eſt, quæ pertinet ad Advocatum, qui corruptus eſt, quique prodit cauſam. Vid. Calvin.

PRANDIUM dictum eſt quaſi *parandium*, ab eo, quòd milites ad bellum paret. Ita legit Salmaſius p. 296. & addit:

ante

ante pugnam sumebatur. Scribit enim Isidorus, propriè apud veteres *prandium* vocatum fuisse omnem militum cibum ante pugnam. Quanquam de prandii veriloquio aliter sentit Plutarch. lib. s. Symp. quæst. 6. Idem Salmasius paulò post: *Cincti prandebant, ut statim à prandio, nullâ oblatâ morâ, pugnam capesserent.* Hinc proverbium, *Pransus paratus*, nam pransi milites erant ad pugnandum parati.

PRECATOR. Si quando servi dominos graviter offendissent, sibiq; malè timerent, solebant olim supplices conducere ad eos, quorum gratiâ putabant dominos suos nihil non facturos, ut precibus illorum, placatis heris, supplicium evaderent. Sæpius Plautus Asinar.

Precator assiet, malam rem effugies nunquam.

Epidico:

Nihil moror mihi precatorem. Barland.

PRECES. Veteres nihil aggrediebantur serium, quin Diis prius sacra fecissent. Ea sacra fiebant matutinis horis præsertim, quod Deos tùm assidere templis, & matutinis salutationibus adesse opinio foret.

Sacra autem omnia incipiebant à precatione, ut & in eâ desinebant: quæ precationes fiebant meditato & solenni carmine, verbis priscis ex Annalium vetustate erutis: quas plerumque, ne quid præposterè diceretur, aliquis ex scripto præire & ad verbum referre solebat. Sua autem carmina, suæque precationes à Jano & Vestâ fieri oportebat, ut per eos ad reliquos Deos aditus pateret, mox illi Deo, cui sacrificabatur: post ipsum necesse erat reliquos invocari; ut hi volentes & propitii votis & precationibus adessent. His autem sacris non intererant mulieres, nisi velatæ. Not. Var. in Terent. Eunuch. Act. 3. Sc. 3.

PRIMANI vide Miles.

PRIMICERIUS variorum est ordinum, ut primicerius Notariorum, qui Principis notarius dicitur, & honore inter notarios primus, sicut secundus *Secundicerius*. Vid. Calvin.

PRIVATUS Plinio, sicut & Tacito non ille dicitur, qui nullum publicum munus sustinet, & sine imperio est; sed qui Princeps, seu Imperator, non est. Quia consulatus igitur secundus & proximus, prin-

principatui honor; idcirco *ſummum faſtigium privati hominis* lib. 2. epiſt.1. appellatur. Neque enim adſcendere quisquam altius poterat, & eſſe privatus. A. Buch. Not. in cit. loc. Plin.

PRIVILEGIUM, quo quis excipitur ab obligatione legis communis; lex privatis facta, ſive ſit *perſonale*, quod cum perſonâ expirat, ſive *reale*, quod ob certam cauſam conceſſum tranſit ad ſucceſſorem. Micræl.

PROCONSUL. Valla lib. 4. Elegan. *Proconſul*, ait, *non qui pro alio Conſule præeſt provinciæ, ſed qui cum poteſtate conſulari extra ordinem, & ad aliquam provinciam adminiſtrandam mittitur, præterquam quod non duodecim faſces eum præcedunt, qui præcedunt Conſulem, ſed tantùm ſex, ut etiam Prætorem & Præſidem.* Proconſules ſemper utique ex Senatoribus, hoc eſt, ex Conſularibus deligebantur, ſinguliqúe ſingulos Legatos habebant, qui adminiſtrationi præſtarent auxilium. Verùm quantum ex Cicerone, Livio & reliquis bonis autoribus colligimus, conſtitutum erat, ut, qui priore anno Conſul eſſet, in ſequenti Proconſul

esset. Pari Consulibus imperio in eam mittebatur, ubi duntaxat, non alibi, proconsul ipse potestatem suam, quamvis voluntariam (ajunt) jurisdictionem, exercere poterat. l. præses in suæ provinciæ ff. de offic. præsid. l. 1. ff. de offic: proconſ. Vide Calvin. Lex. jurid.

PROCURATOR vid. *Institor.* it. *Advocatus.*

PROFERRE & *Differre* inter se differunt. *Proferre* est diem prodictam prorogare. *Differre* est rem in aliud tempus conferre, nulla cum dies antè prodicta fuisset. Calvin.

PROFESTI dies. Hi quintuplices erant. Alii *fasti* dicebantur, in quibus Prætori licebat solennia hæc verba fari, *Do, Dico, Addico.* Alii *comitiales*, quibus cum populo rectè agebatur. Alii *comperendini*, quibus vadimonium dicere permittebatur h. e. sponsionem decernere, judicio sisti. Alii *stati*, quos judicii causâ cum hoste instituebant. Alii *præliares*, quibus repetere res, vel lacessere hostem licebat. Calv.

PROGRAMMA. Inter genera publicatorum edictorum erant & *programmata*,

mata; uſurpaturque paſſim ab auctoribus *programma figere*, pro eo, quod nos dicere ſolemus: Ein offen Patent an die StadtTohr oder an die Kirchtühren ſchlagen. Certè hæc eſt propria vocis notatio, ut ſignificet ſcripturam ob oculos propoſitam, quippe à προγράφω. Et ita legitur etiam apud optimum Scriptorem Græcum, peſſimum verò Religionis noſtræ empæctam, Lucianum: τὸ μὲν πρόγραμμα φησὶ, μὴ παριέναι εἴσω περιῤῥαν τηρίων. De ſacrific. Et idem, cum ante vocem προγράμματα poſuiſſet, ſubjungit, illam quoque expoſiturus: πινάκιον ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλοις γράμμασι λέγον &c. Ubi tabulam magnis literis inſcriptam appellat. Meminit verò & Vulcatius Gallicanus in Hiſtoriâ Avidii Caſſii: *Nec fefellit*, inquiens, *de ſe judicium habitum; nam ſtatim & ad ſigna edici juſſit, & programma in parietibus fixit, ut ſi quis cinctus inveniretur apud Daphnem, diſcinctus rediret.* Programmatum ſæpe fit mentio Caſſiodoro in lib. variar. quidem programma, titulum appellat lib. 5. ep. 6. Notament. in cit. Caſſiod. lib. 1. Epiſt. 31. Ms.

PRO-

PROLETARII erant cives, qui non ultra millia quingenta æris habebant: non ſcripti ad militiam, ſed relicti prolis causâ: nempé plebei & inopes. Inde etiam *proletarius ſermo*, id eſt, *vulgaris*. Micræl. vid. *Cenſores.*

PROLYTÆ vide *Lytæ.*

PROMERCALIA dicuntur, quæ, reſervatis iis, quæ ad proprium uſum pertinent, paterfamilias vendit. Not. in A. Gell. lib. 4. cap. 1.

PROMERERI vid. *Commereri.*

PROMTUARIUM cella eſt, in quam reponuntur edulia, quæ ad uſus quotidianos comparata ſunt. In hoc à *penario* diſtans, in quod, quæ longioris uſus ſunt, conduntur. Calvin.

PROPINARE, προπινεῖν, Græcis eſt præbibere, Latinis prægustato poculo alteri illud offerre.

Propinandi conſvetudo antiquiſſima. Apud Hebræos quidem paterfamilias cùm menſæ accubuiſſet cum domeſticis, poculum vino repletum dextrâ tenens, & præmiſsâ præcatione hac: *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, Rex mundi, Creator vini,* eâque

eâque finitâ prior degustabat, tunc cæteris porrigebat. Aliquando ipse paterfamilias alicui convivarum id deferebat.

Fuisse etiam propinationes apud Medos & Persas usitatas convivii illius regii Esther cap. 1. indicat. De qua vide observationes Drusii in illum Locum.

Antiquissimam apud Græcos *propinandi* consvetudinem plurium Scriptorum testimonia evincunt. Svidas id Regibus usitatum fuisse scribit, ut die certo, quem *Philotesium* appellabant, miscerent poculis vina, eaque à pocillatore accepta degustarent, & tum præbiberent. Eratque hoc maximæ benevolentiæ symbolum. Hinc *Philotesia* vox pro amica propinatione usurpata, & *Crater Philotesius* est is, qui amicitiæ conciliandæ gratiâ hauriebatur, meminitque illius Plut. lib. de fortunâ Alex. Reg.

Romanis *propinationes* usitatas, quas invitationes vocabant, constat ex Autoribus. Herodianus lib. 1. meminit poculi ab amicâ propinati & temperati, quò ad amicos majori cum voluptate deveniret. Dido Virgiliana cùm præbibisset, & summo tenus ore poculum attigisset; *Tum*

Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit.
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Sic Phormio Terentianus ex procacitate parasyticâ inquit: *Prior bibas, prior decumbas.* Gurguli o Plautinus : *Propino*, ait, *militi magnum poculum, ille ebibit.*

Propinationis finis est charitas & mutua benevolentia, quæ hoc velut symbolo conciliatur. Qvamvis hoc signo plerumque abutantur, dum ad æquales haustûs, compotationes, si non ad libidines turpesque amores, plerique hac etiam ætate abutãtur.

PROPINQVITAS vid. *Affinitas.*

PROSCENIUM, locus ante scenam porrectus, in quo pulpitum erat, ludicris exercendis accommodatum. Virgil.
- - *Veteres ineunt proscenia ludi.*

PROSCHOLUS. Proscholium. Proscholus redditur ab Ausonio *Subdoctor.* Erat in schola ille, qui non tam docendis pueris, quam eorum moribus præfectus erat, ut scilicet concinne ad Magistrum accederent; ut togam componerent; ut omni gestu, incessu, vestitu compositi essent. Nam ante scholæ auditorium erat locus *Proscholii* nomine, ab auditorio ipso velo, tanquam

aliquo

aliquo intergerino pariete diſſeptus. Ibi pueri conveniebant ejus loci Præfectum, quem *Proſcholum* vocabant, ut admonerentur officii ſui ante, quàm ad Magiſtrum reducto velo accederent. Et hoc quidem in ludo puerorum. Nam in ſcholâ Grammaticorum, aut Rhetorum videtur *Proſcholus* non omninò docendi munere caruiſſe: propterea enim vocatur *Subdoctor*, tanquam ordinarii doctoris vicarius, & promagiſter. Denique *Proſcholus* morum κοσμητὴς, ut magiſter ingenuorum cultor videtur fuiſſe. J. Scalig. Auſon. lect. l. 1. c. 15.

PROSCRIBERE eſt rei vendibilis indicium ſcripturâ publicè facere, nam qui poſſeſſionem aut fundum vendere vellet, figebat aut ſuſpendebat tabulam publicè, in qua & res, & rei pretium perſcriptum erat. Unde *venales pendere* dicebantur, quorum bona ad iſtam rationem proſcripta erant. Plinius Epiſt. 27. lib. 6. *Deſerta inde & damnata ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta: proſcribebatur tamen: ſeu quis emere, ſeu conducere, ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodorus; legit titulũ auditoque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatus omnia, docetur.* Buchn. in Epiſt. Plin. lib. 7. epiſt. 11.

PRO-

PROSCRIPTIO propriè est *publicatio*, ut cùm venale aliquid propositis libellis exponitur. In specie est *ademtio omnis libertatis & securitatis* personæ & rerum, ùt quando nomina proscriptorum palam in foro extant, ut ad necem quærantur, constituto percussori præmio.

Proscriptio etiam dicitur *Bannum* die Acht / quod est vel *minus*, vel *majus*, die Ober-Acht / quando quis hostis Reipubl. declaratur. Micræl.

PROSECTA. Exta cocta solebant prosecare, unde & *prosecta* dicebantur, & partem adolebant, partem consecrabant, Sacerdotibusque dabant, partem sibi adponebant. Tranquillus in Augusto, Semicruda exta rapta foco prosecuit. Est verò verbum sacrificantium: Particulæ enim minutæ membrorum omnium *prosecta* dicebantur in sacrificiis. Sic Lucanus:

- - - Si pectora pleno
Sæpe dedi, lavi calido prosecta cerebro.

Et Ovidius:

Inde ubi libavit, prosecta sub æthere ponit.

Calvinus.

PROSODION. Rhodiginus l. 5. cap. 3.

cap. 3. ſcribit, apud antiquos tria hymnorum fuiſſe genera, *Proſodion*, *Hyporchema*, *Staſimon*. De poſterioribus ſuo loco. *Proſodion* λιτωνεία ſive *ſupplicatio*, dicebatur cum hymno, ubi Deos adirent, ac ſacrificium ad altare proferrent. Sunt, qui cantum putent modo, qui Dei hymnum contineat: Nam & Athenienſes [autore Plutarcho] Demetrio adventanti pæanas concinebant & proſodia. Genere autem fœminino *proſodia* cantus eſt, ſi muſicum accedat inſtrumentum.

PROTERVIA. Sacrificium apud Veteres fuit, quod vocabatur *Protervia*: in eo mos erat, ut ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. Hinc Catonis jocus eſt. Namque Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & noviſſime domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, *Proterviam feciſſe dicebat, quia quod comedere non potuiſſet, id combuſſiſſet*. Simile autem ſacrificium in agno Paſchali erat ex Moyſis legibus, ne ſcilicet quid ex ſacris epulis relinqueretur, & ſi quid reliqui eſſet, id igni traderetur, ut ſcribitur Exod. 12. *Proterviæ* quoq; mentionem facit Auſonius in Moſella,

Capripedes agitat cum læta Protervia panes. A. Tiraq. in Alex. ab Alex. lib. 3. c. 12.

PROVINCIA 1. in genere dicitur quæcunque regio. 2. in specie regio extra Italiam bello acquisita, & per Prætorem vel Consulem Romanum gubernata. Unde aliæ provinciæ dicebantur *prætoriæ*; aliæ *consulares*: quarum *illis* præerant Prætores cum 6 fascibus; *his* Consulares cum 12 fascibus. Prima autem omnium provincia erat Sicilia. 3. Sumitur etiam provincia pro *munere* vel *onere*. Micræl.

Insignia Rectorum Provinciarum. Omnes Rectores eadem fermè insignia gerebant, librum scilicet mandatorum abaco impositum substrato tapete. Iisdem vultus Principum in summâ aureâ pilâ expressi præferebantur. Cassiodor. in for. consulari.

Iidem purpura & torque aureo ornabantur. Tertul. lib. de idolol.

Igitur purpura illa & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ vel trabeæ, vel palmatæ & coronæ Sacerdotum Provincialium. S. Ambros. de obitu Valentiniani.

Re-

Rectoribus omnibus cingulum datum. l. 1. C. ut dign. ord. serv.

Omnes assessores fuère, omnibus annonæ datæ, id est, alimenta & pabula equis l. 2. C. de cursu publ. Respublica, inquit Constantinus, præsidibus annonas & alimenta eorum pecoribus subministrat. Quod vetus institutum fuit. Nam lege Juliâ provinciæ proconsulibus & prætoribus fœnum, ligna, lectos, supellectilem & tectum dabant.

Ex publico item argentum datum. Cic. l. 5. in Verrem. Beyerl.

In provinciæ formam redigere aliud olim nihil erat, nisi leges domesticas adimere & Romanas dare, ac Prætorem, qui quotannis provinciam ex legibus datis administraret, instituere. Calvin.

PROXENETA, ait Budæus in comm. ling. Græc. est conciliator ac interventor, quasique conglutinator hominum inter se stipulantium & spondentium aut quemvis contractum, conventumque ineuntium.

Aliter *proxeneta* significat eum, qui inter ementes & vendentes est conciliator & medius. Calv.

Προξενία, καὶ πρόξενοι. Erat in Græciâ munus quoddam recipiendorum hoſpitio Senatorum, Legatorum, Magiſtratuum, quod προξενία dicebatur, quique eos recipiebant, qui hoſpitio publico cum civitate conjuncti erant, πρόξενοι dicebantur. Turneb. lib. 6. cap. 11.

PRUDENS eſt, qui intelligentiâ ſuâ aliquid ſentit.

SCIENS, qui alicujus indicio rem cognoſcit. Ergò *prudens*, per ſeſe: *ſciens* per alios. Donatus in Terent. Eunuch. act. 1. Scen. 1.

PRYTANEA, πρυτανεῖα, numero multitudinis forenſis vox eſt, quâ ſignificabatur Athenis pecunia ſolita in ſacro deponi à litigaturis. Romani ſervarunt eum morem, & τὰ πρυτανεῖα *ſacramentum* dixerunt, ut ait Varro. Interpres Ariſtophanis ſcribit, in Romano foro *ſportulas* appellari πρυτανεῖα Athenienſium. Vid. Caſaubon. in Athen. lib. 6. cap. 8.

PSALTRIA, Cantatrix, quæ ſcilicet inſtrumento aliquo muſico canit: à Latinis fidicina dicitur, quaſi fidibus canens. Terent. in Adelph. *Iſthæc jam penes vos pſaltria eſt?* Pſal-

Pſaltrias & Symphoniacas in conviviis Veterum, qui Delicatiores erant, adhibere moris erat. Unde Seneca in Epiſt. 84. *In commeſſationibus noſtris plus cantorum eſt, quàm in theatris olim ſpectatorum fuit. Cum omnes vias ordo canentium implevit, & cavea æneatoribus cincta eſt, & expulpito omne tibiarum genus organorumque conſonuit, fit concentus ex diſſonis.* Quintilianus lib. 1. cap. 14. *Sed veterum quoque Romanorum epulis, fides ac tibias adhiberè moris fuit.* Et lib. 3. cap. 1. *Omne convivium obſcœnis cantibus ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur.* Adeo autem hoc ſolemne fuit, ut Macrobius etiam de Philoſophis emendatioris quoque vitæ non veretur dicere lib. Saturnal. cap. 1. *Sub illorum ſupercilio non defuiſſe, qui pſaltriam intromitti peteret; ut puella ex induſtria ſupra naturam mollior, canora dulcedine, & ſaltationis lubrico exerceat illecebras philoſophantes.* Unde & vetus Scholiaſtes ad iſtud Juvenalis Sat 11.

Forſitan exſpectes, ut Gaditana canoro
Incipiant prurire choro &c.

notat: *Quæ ſuo motu faciunt barbatos pati pruriginem*: Ubi Philoſophos deſignat. Poſtea

ſtea autem mos ille adhibendi pſaltrias in conviviis interdictus à Theodoſio Imperatore, ut refert Sext. Aurelius Victor in Theodoſio: *Prohibueritque lege miniſteria laſciva, pſaltriasque commeſſationibus adhiberi.* Lex ipſa exſtat in Cod. Theodoſ. lib. 15. tit. 7. de Scenicis, leg. 10. *Fidicinam nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conviviis, vel Spectaculis adhibere.* Not. in A. Gell. lib. 19. cap. 9.

PUBLICUM vide *Commune.*

PUGILLARIA. In tabulis ligneis cerâ oblitis Veteres olim ſcripſiſſe, notum eſt, unde *cerei pugillares*: ſic dicti, quia ſtilo in his pungendo ſcribebatur. Hujus ſingulari *pugillar* utitur Auſonius: *Bipatens pugillar expedi.* Pugillarium autem materia olim varia. Fiebant enim è buxo, unde πυξὶον, è citro, ebore, laminis membraneis &c.

De pugillaribus citreis, ſive è citri ligno factis, Martialis lib. 14.

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,
Eſſemus Libyci nobile dentis opus.

Idem de *eburneis* ibid. Epigramm. 5.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ.

Ni-

Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Et de membraneis ibid. Epigr. 7.

Esse putas ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis quoties scripta notare velis.

Not. in Gell. lib. 17. cap. 9,

PTEROPHORI, curſores tabellarii; quòd peregrè proficiſcentes ſurrectas in capite pennas geſtare conſueſcant. Spiegel.

PULCHER vid. *Bellus.*

PULCHRITUDO eſt apta membrorum proportio, cum quadam coloris ſvavitate: In viris *dignitas*, in fœminis *venuſtas* appellatur.

PULLARIUS erat, qui caveæ pullorum curam agebat, è quorum paſtu auguria augures captare ſolebant. Meminit hujus aliquoties Livius & Cicero 2. de Divinat. *Attulit in cavea pullos, qui ex eo nominatur Pullarius.*

PUPPÆ ſimulachra quædam erant ſeu imagines, puellarum formâ & amictu inſignitæ, quæ maximè ſunt in deliciis puellis: Antiqui autem *puppam* appellabant, quam nos hodie puellam, & *puppum* puerum. Perſius Sat. 2.

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

Puellæ etenim cùm nuptias capessere vellent, aut virginitatem ejurare, Veneri in templo puppas dicabant: quemadmodum pueris mos erat, cùm ex pueritiâ excederent, laribus Diisque familiaribus & domesticis bullam suspendere: unde ipse Persius Satyr. 1.

Bullaque succinctis laribus donata pependit.

De *puppa* sic Mart. Epigr. lib. 4. de Cærelia & Gelliâ,

Dicit se vetulam, cum sit Cærelia puppa,
Puppam se dicit Gellia, cùm sit anus. Calv.

PURPURA, ùt fatentur omnes, piscis est è concharum genere, qui florem illam tingendis vestibus expetitum in mediis faucibus habet.

Purpura interdum pro Magistratibus ponitur; quorum olim insigne erat apud Romanos, ùt & post amissam libertatem, cùm Imperatorum tùm Regum permansit. *Purpurati* autem hi, qui apud Principes dignitate antecellebant, dicebantur. Nam illis purpuræ usus concedebatur. Spieg. Prat,

Cæte-

Cæterum quinque generibus hominum apud Romanos *purpuram* olim concessam fuisse legimus. Primò ipsis *magistratibus*, deinde *pueris*, tum *Senatoribus*, quartò *sacerdotibus* in sacrificiis peragendis, postremò, *triumphantibus*, teste Plinio, quin etiam Viri clarissimi, rebusque gestis insignes ac nobilitate cum purpuratis vestibus in sepulturam deferebantur, & ipsæ etiam vestes cum eorum corporibus cremabantur, ut ex Livii lib. 34. apparet, & ad hanc consvetudinem respexisse Virgilius in 6. Æneid. videtur, cum de Miseno mortuo sic ait:

Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt.

Annotat. in cit. loc. Livii.

PUTEUS vid. *Fons.*

PYRAMIS, πυραμὶς, ἀπὸ πῦρ *ignis*, quia πυροειδὴς. Ammianus Marcellinus lib. 22. *Pyramides ad miracula septem provectæ, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, ultra omnem omninò altitudinem, quæ humanis confici potest, erectæ sunt turres, ab imo latissimæ, in summitates acutissimas desinentes. Quæ figura apud Geome-*

tras ideò sic appellatur, quòd ad ignis speciem, ἢ πυρὸς, ut nos dicimus, extenuatur in conum, quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paulatim, umbras quoque mechanicâ ratione consumit.

Excogitatæ sunt *pyramides* à Regibus Ægypti, ne plebs esset otiosa, & ut sui memoriam posteris magnitudine operis relinquerent. Melius tamen sentiunt ii, qui dicunt, quòd Ægyptii mortuorum resurrectionem expectantes, corpora condire soliti sint, ut ad æternitatem perdurarent, ea comburere nolentes, ut Latini; neque terrâ sepelire, ùt Græci; ignem etenim animal esse existimabant, quod omnia devorat & absumit, quodque jam satur, cum his, quæ devoravit, perit: minimè autem sepeliebant, quòd ne à vermibus absumerentur, metuerent. Itaque ad ista incommoda evitanda, olim corpora condiebant cedriâ & nitro, (quæ nunc nobis in usu sunt sub Mumiæ appellatione) eaque condita, sepulchris recondebant, sub ingentem aliquam lapidum molem: eamque ad rem, maximè sterilia loca deligebant. Beyerlink.

PYRA est lignorum congeries ad cremandum mortuum extructa.

ROGUS, cùm ardere cœpit.

BUSTUM, jam exustum vocatur, quasi benè ustum, inquit Servius.

Pyram Libitinarii in modum aræ è lignis impolitis construebant, ùt Lex Decemviralis jubebat: *Ne facito rogum asciâ ne polito.* Materies erat lignum, quod facile conciperet ignem, affusâ pice.

Imponebant cadavera cum lectis, & ardentibus facibus aversâ facie incendebant. Virgilius

- - *Et subjectum more parentum*
Adversi tenuere facem.

Pater, mater, affines, amici, propinqui, accendebant rogum. Aromata & suffimenta varia conferebant, ut odoris gravitas prohiberetur. Vid. Martial. lib. 10. Epigr. 97.

Rogo incenso ventos rogabant, ut vellent aspirare, ac flammas non alere solum, verum quoque animam, quæ hactenus cadaveri præsens nunc illo in cineres adacto, ad campos Elysios abitum maturaret, facili provectione juvare. Propertius

Cur

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?
Poſtquam deflagraverant, aſſervabant cineres, ne à prætereuntibus diſſiparentur. Kipping.

PYRGUM vid. *Teſſeræ*.

Q

QVADRA. Apud Romanos conſtat fuiſſe uſu receptum, ut panem quemlibet, placentamve, quadrifidâ decuſſatum inciſione, ad dividendum poſtea in partes quatuor, coquerent; cujus ſingulæ partes *quadræ* nominarentur, non quòd quadratam figuram referrent, ſed quòd quarta pars panis eſſet. Habes enim id imprimis à Virgilio deſcriptum his verſibus, cùm ait de conficiente panem:

Format opus palmâque ſuum dilatat in orbem,
Et notat expreſſis æquo diſcrimine quadris.

De iisdem *quadris* Horatius lib. 1. Epiſt. 17.

Qui dicit: Clamat, Victum date: ſuccinit alter,
Et mihi dividuo fundetur munere quadra.

Martialis lib. 3. Epigram.

Nec

Nec te liba juvat, nec sectæ quadra placentæ.

Juvenalis Sat. 5.

Ut bona summa putes alienâ vivere quadrâ.

Licet pro *mensâ* alii quadram acceperint, ſicut & in illo Virgilii Æn. 7.

- *Patulis nec parcere quadris.*

QUADRIGARUM ſupplicium. De hoc ſupplicii genere Livii verba lib. 1. ſunt: *Exinde duabus admotis quadrigis in currus earum diſtentam illigat Metium, deinde in diverſum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, quæ inhæſerant vinculis membra portantes. Avertêre omnes à tanta fœditate ſpectaculi oculos. Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit. In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas.* A. Gellius lib. 20. cap. 1. §. 65. *Hiſtoria de Metio Fufetio Albano nobis quoque, non admodum numero iſtiusmodi libros lectitantibus, ignota non eſt: qui quoniam pactum atque condictum cum Rege populi Romani perfidè ruperat, binis quadrigis evinctus in diverſa nitentibus laceratus eſt.* Virgil. lib. 8. Æneid.

Haud procul inde, citæ Metium in diverſa quadrigæ diſtulerant.

Hoc

Hoc autem ſupplicii genus ab Hercule inventum eſſe conſtat, qui florenti adhuc ætate Regem Eubœæ Pyrechmen bellum Bœotiis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas diſpertiretur partes, ut refert Plutarch. c. 13. Paral.

QUADRUMVIRI viarum erant, qui vias regias lapide ſtratas intra & extra Urbem curabant,

QUADRANGULUS homo, pro *perfecto*, qualem Plato inquit, eſſe difficile reperire. Calvin.

QVADRANTAL vid. *Amphora.*

QUADRUPLATOR. *Quadruplatores* ante Cæſarum tempora dicti, qui ad vexandos Reos præmio ducebantur, improbamque voluptatem ex aliena calamitate capiebant ſeſe ſatiantes civium ſuorum ſanguine & oculos paſcentes Reorum ſordibus. Talis Caſſius Severus apud Fabium lib, 11. *Dii boni*, inquit, *vivo, & quo me vivere juvet, Aſpernatem Reum video.* Idem *Quadruplatores*, qui poſtea *Delatores* dicti, Græcis *Sycophantæ*; & hi in præmium accuſationis quartam partem bonorum damnati conſequebantur.

QVÆSTORES, ait Varro lib. 4. de L.L. à *quærendo* dicti sunt, qui conquirerent publicas pecunias & maleficia, quæ Triumviri capitales non conquirunt. Ab his postea, qui quæstionum judicia exercebant, *Quæstores* dicti.

Tria autem *Quæstorum* genera fuêre: *Quæstores urbani* vel *ærarii*. *Quæstores parricidii* vel *rerum capitalium*. *Quæstores provinciales*. Beyerlinck.

QVÆSTORIUM v. *Castrametatio*.

QVALLUS vasis genus est ex viminibus compositum, per quod vinum guttatim defluit, cum uva imprimitur: à *colando* dictum, reliqua verò materia extre prohibetur. Virgilius:

Tum spisso vimine quallos, collaque.

Ponitur etiam pro *cistulâ*, in quâ mulieres ponebant pensa lanæ. Horatius:

Tibi quallum Cytherea.

A *quallo* per diminutionem fit *quasillus* & *quasillum*, qui alio nomine (Græco tamen) *Calathus* appellatur, secundum Festum, & Servium super illo Virgil. in Bucol.

- - - Tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis.

QVAR-

QVARTUMVIRI creati erant, quibus deducendarum coloniarum, aut si quid novum nunciatum foret, ut curarent, ne damno Respub. afficeretur, obque varia negotia munus mandatum erat.

QUERELA ab æquali & superiori fieri potest cum stomacho quodam, propter injuriam acceptam, cum exprobratione beneficiorum acceptorum.

QUERIMONIA est mitior, & à supplice fit, qui lacrymis & precibus auxilium implorat.

QUINQUATRIA. Quinquatrus. In *Quinquatriis* Minervæ prima dies sine victima aut cæde fuit, quòd illa in lucem primum editam fuisse putant, *Quinquatrumque* ideò dixere, quòd diem quintum, post Idus festum haberent, sicut *Triatrum, Sexatrum, Septemmatrum* & *Decemmatrum.* Alexand. ab Alexandr. Genial. dier. libr. 2. cap. 22.

Celebrabantur hæc festa 13 Calendar. Aprilis, hoc est, 20 die Martii. Vid. A. Tiraquell. & Becm de O. L. L.

QVINQVEVIRI, agris dividundis, muris, turribusque reficiundis, sæpius ut

ut plebem funebri pecuniâ elevarent: usq; æs alienum pro his, qui solvendo non essent, de publico solverent: qui *mensarii* nuncupati. Alex. Gen. dier. lib. 3. c. 16.

QUICUNQUE dictio distributiva, idem significat, quod *quisquis*: quia vox hæc, *cunque*, naturam geminationis habet, unde & *qualisqualis* à JCtis scribitur, cùm alii *qualiscunque* dicant: Sic & *taliscunque*, & *utercunque*, pro *uter uter*, & si qua similia.

QUISQUIS ES. Nefas erat, Deum Deamve alio, quàm nomine suo appellare, neque votum obtinebat, qui vel nomen mutabat, vel Deum pro Deâ supponebat. Et cùm ambigerent, modestè dissimulabant nomen aliquod proprium, dicebant verò illud: *Quisquis es*. Ovid. l. 1. Metam.

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum.

Vid. Kipping. Antiq. Rom. l. 1. c. 9.

QUINQUERTIUM, Græcè πένταθλον, quod ex quinque certaminum generibus constabat, *cursu*, *disco*, *saltu*, *luctâ*, *pugillatu*. Qui quinque his certandi generibus congrediebatur, *Pentathlus*; qui in his omnibus vicerat, *Pancratiastes* appellatur. Vid. *Pentathlum*.

R

R Litera, quòd tremuli ſoni ſit, & lingvâ palatum feriente efferatur, Socrati inſtrumentum & nota eſt omnis motus. Eſt etiam nota & inſtrumentum irritationis verbalis, quæ ſcilicet acrimoniam & mordacitatem conjunctam habet. Ideoque à Perſio *litera canina* appellatur, quàm dicit in Magnatum aulis ſonare,

Sonat, inquiens, *hic de narè caninâ litera.*
Siquidem canes provocati irritari ſolent, & ſonum quendam criſpante naſo, qui literam R referat, edere ac deinde mordere.

Irritata canis quòd R *quamplurima dicat*,
Ait Lucilius. Sunt, qui literam hanc nequeant efferre, humidioris linguæ vitio. Alii crebrius, quàm oportet, quod dicitur ῥωτακίζειν. Beyerlinck.

Literam R ab Appio Claudio inventam Pomponius ſcribit in l. 2. §. juris civilis de orig. jur. eoque factum, ut qui antea Valeſii, Fuſii, Papiſii, Auſelii dicebantur: poſt Valerii, Furii, Papirii, Aurelii vocitati

tisint. Cujus rei testes sunt Cicero lib. epist. 9. Macrob. lib. 3. cap. 2. Varro de ling. Latin. lib. 6. Livius lib. 3. Festus 1. Pratejus.

Convertitur nonnunquam in L, ut *intelligo*, pro *interlego*: *Pelluceo*, pro *perluceo*. In simplicibus, ut *Niger*, *nigellus*. *Umbra*, *umbella*. In S ut *arbos*, pro *arbor*, *odos* pro *odor*. Aliquando in duo ss, ut *uro*, *ussi*, *gero*, *gessi*. In V. consonantem, ut *fero*, sevi. In N. ut *æneus*, *pro æreus*. Calep.

RABULA, inquit Festus, dicitur multis intentus negotiis, paratus ad radendum auferendumque: vel est in negotiis agendis acrior, quasi rabiosus, quales sunt clamosi advocati, pecuniæ æruscatores, nonnunquam & pro advocato, & pro causarum patrono in foro accipi solet: Cic. in Orat. *Non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro, sed doctissimum & perfectissimum quærimus.* Idem 1. de Oratore *Non enim causidicum nescio, quem neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus: Nec aliâ ratione putandum, quam quod radant, id est, offendant aures.* Et ut ait Quintil; *nimia verbositate feriant.*

Unde & Cicero ibid. *Quasi rabulæ*, inquit, *qui sibi diserti non videntur, nisi omnia tumultu & vociferatione concusserint.* Calvin.

RAPERE vid. *Diripere.*

RECENTATUM vinum. Penes Romanos fuit propomatis genus, quod *recentatum* nuncupabant: in quo bibendo, ut magis delectarentur, peculiari quâdam arte refrigerabant. *Recentare* enim apud veteres in usu fuisse pro *renovare*, auctor est Nonius. Mercurial. Var. lect. l. 1. c. 7.

RECEPTARE fere semper in malam partem sumitur: pro eo, quod est hospitio & familiaritate juvare eos, qui sceleratam vitam maleficiis ductant. Unde

RECEPTORES illi, qui improbos homines, ut latrones, fures &c. in ædibus suis recipiunt, & illos commeatu juvant. Marsus.

RECOCTUS apud Horat. 2. Serm. Sat. 5.

- - - *Sæpè recoctus* (*tem.*
Scriba ex Quinqueviro corvum delusit hian-

Ibi Helenius Acro: *Recocti* dicuntur Scribæ, qui sæpius cum Proconsulibus ad provincias missi exercitatiores facti sunt usu

ipso

ipſo & frequentia. Solent autem mitti Quinque viri, qui cum rediiſſent, vendebant decurias ſuas, & Quinqueviri dicebantur. Quod ſi voluiſſent iterum magiſtratibus apparere, & fructus priores percipere, *cocti* dicebantur. Cumque ſæpius hoc factitabant, *Recocti*. Becm. de Orig. L.L. pag. 116.

RECUPERATORES dicebantur Judices à Prætore dati, qui præfecti erant recuperandis reddendisque; ſic dicti à *recuperando*, quòd per eos ſuum quisque recuperare poſſet: neque tantùm de bonis iniquè ablatis, verùm etiam de æſtimandis injuriis eos cognitionem habuiſſe ex Gellio lib. 20. cap. 1. manifeſtum. Vid. Not. in Gell. loc. cit.

REFRACTARII. Milites refractarii dicebantur, qui detrectabant & ſe ſubtrahebant: uti *Proni* vocabantur, qui ſponte ſequebantur & accedebant ad dilectum. Qui non ſolùm voce & reſponſo, ſed corpore & progreſſu ſe ſiſtebant Tribunis, cùm refractarii ſilebant & ſe ſubtrahebant.

Refractariorum pœna varia. Primò vin-

cula; Itaque Consules prehendi eos jubebant & in carcerem duci. Interdum virgæ adhibitæ in contumaces, sed non nisi à Consulibus immodicè severis. Nonnunquam damno affecti & eorum bona direpta & vendita. Imò verò interdum extremâ pœnâ affecti & morte civili, id est, venundati in servitutem. Infamiâ notati etiam & ignominiosi facti *refractarii*.

Causæ justæ detrectandi militiam apud Romanos tres erant. Prima *Vacatio*; atque ea triplex: ab *ætate*, cum supra 50. annum aliquis erat, is sive implevit sua stipendia, sive non implevit, vacabat. Vel ab *honore*, ut si quis in Magistratu, vel sacerdos; nec enim aut illi à Rep. aut isti abducti à sacris. Vel à *beneficio*, ut si cui Senatus Populusque indulsisset. Factum id sæpè pro meritis, aliàs in ævum. Secunda causa *Emeritum*, qui enim 20. stipendia complevit, tutò nomen non dare poterat. Tertia *Morbus*, aut vitium. Nam & manci & debiles, non habiles judicati ad militiam, & nominatim ii, quibus pollices aut digiti non essent, etiam in sinistra manu; quia ea manus inepta tunc ad scu-

tum

tum tenendum: ſicut dextra ad gladium. Quia verò nonnunquam fraudes intervenêre, ideo non ſtatim accepta quæcunque cauſa, ſed diſcuſſa; ſæpè & plurimùm ante bellum, interdum poſt illud.

RELEGATIO erat, cum civis Romanus intra certum diem juberetur excedere finibus Italiæ. Et tunc ei formulâ ſolenni interdicebatur aquà & igni. Quia enim civi Romano haut poterat vitâ jure eripi, adeoque infelix carmen non poterat adverſus eum proclamari, neque tamen delicta impunè abire debebant, hoc temperamentum exercendæ juſtitiæ inventū eſt, ut illis, poſt cauſam in Comitiis centuriatis diſcuſſam, igni & aquâ interdiceretur. Nimirum ſubſidiis iis, quibus vitæ humanæ converſatio continetur, deſtituti in terras peregrinas emigrare cogebantur ita factum eſt, ut civitatem Romanam amitterent, & à ſicariis, ſi non pro precio, ſaltim impunè occiderentur. Kipping.

RELIGIOSUM vide *Sacrum*.

REGIA domus Pontificalis eſt Sic appellata, quod Rex ſacrificulus ibi habitaret. Dio lib. 49. & Servius ad 8. Æneid.

RELIGIOSUM vid. *Sacrum.*

RENONES, inquit Isidorus, *sunt velamina humerorum, & pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeò hispida, ut imbres respuant, quos vulgo reptos vocant, eò, quod longitudo villorum quasi reptat: de quibus Sallustius, Germani intectum renonibus corpus tegunt. Dicti autem renones à Rheno Germaniæ flumine, ubi iis frequenter utuntur.*

REPOTIA appellamus ea, quæ ad conviviorum classem pertinent, de quibus Horatius, licet ille repotia, natales, aliosve dierum festos albatus celebret. Festus quoque Pompej. *repotia* postridie nuptias interpretatur, cùm apud novum maritum cœnatur, quia quasi reficitur potatio: affertque exemplum Pacuvii, *Ab hoc depulsum mammâ pædagogandum accipit repotialis liber.* Et interpretantur Grammaticorum tribules, septimum à nuptiis diem, quo iterum epulabantur: alii secundum, quo virgo in muliebrem habitum componebatur. Sed crediderim etiam *repotia* celebrari solita liberis natis, cum maritis novà quotannis prope soboles nascatur, ut renovanda sit epulatio, idcircò ea

con-

convivia *repotia* appellata: cui interpretationi Pacuvii exemplum non repugnat; nec verò Avidieni personæ convenit nuptiale convivium: ea nisi me fallit augurium, dicere voluit Acro Grammaticus παιδοτρόφια Græcè vocari, velut sublatis & susceptis liberis & parentibus eos alere decernentibus. Nam in Græcorum potestate erat, liberos exponere, nec alere. Ut autem ita *repotia* interpreter, mihi persvadet Ausonius sic scribens:

Conjugioque dapes & sacra repotia patrum.

Hæc Turneb. adverſ. lib. 3. c. 6.

RESCRIBERE dicebantur debitores, cum pecuniam reddebant: *Scribere* aut *dictare* creditores, cum vendebant. Horat. Satyr. lib. 2.

Moris fuit, ut creditores in argentariorum, apud quos suas pecunias collocarant, tabulis expensum alieni ferrent & argentario id nomen dictarent. Debitores autem cum eam pecuniam reddidissent, eidem argentario, ut nomen expungerent, & pecuniam in acceptum referret, dictabant. Calvin.

RETICULUM muliebre tegmen

capitis, quo capilli continentur: ita etiam dicebatur fascia lanea vel linea ad formam retis facta, quam faciei admovebant, ne agnoscerentur. Hildebr.

REUS quis dicatur, constat. Cum nomen ejus apud Prætorem detulerat accusator, postulabat, ut reciperetur, i. e. in tabulas inter reos referretur, recepto rei nomine Prætor certam diem, quâ Accusator & Reus ad Judicium adessent, constituebat, is dies in aliis legib. 10., in aliis 30. fuit. His rebus actis Reus vestem mutavit, nempe albâ togâ depositâ, atram induit; barbam, capillumque promisit, squalorem contraxit, patronos conquisivit. Ita ipse Tullius, cùm tristis illa abitio immineret, circumibat & populo supplicabat, cum quo vestem mutabat universus Ordo equestris, quèmque ad viginti millia hominum habitu atrato sequebantur. Vestis illa lugubris in Bibliis *Sacci* nomine venit, non quidem frumentis & rebus aridis aliis transvehendis idonei, sed שק Hebræis præter alia est vestitus vilis, asper, sordidus, durus, laneus aut cannabinus, quo exutis aut mutatis vestibus splendidioribus, loco interu-

læ

læ corpus operiebatur vel lumbi conſtringebantur.

Sumebatur autem vel 1. ob grandem imminentem calamitatem, vel 2. ob peccati pœnitentiam, vel 3. ob institutam pœnæ deprecationem.

Veſtem etiam in gravi luctu ſcindere, ceremonia vetus erat, quâ priſci illi homines cor ſuum ſcindi teſtabantur; ita veſtem ſcidêre Jacob, Ezechias, Caiphas, Paulus, Barnabas, alii. Virgil. lib. 12. Æn. v. 609. de Latino Rege:

- - It ſciſsâ veſte Latinus
Conjugis attonitus fatis urbisque ruina.
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans.

Dilherr. in Dial. Philol. 1. Præterea *Reus* humili dicendi genere uſus eſt. Cic. l. 2. de Orat. *Non ſemper fortis oratio quæritur, ſed ſæpe placida, ſubmiſſa, lenis, quæ maximè commendat Reos. Reus* reſpectu *Actoris* dicitur, collatus ad Patronum Cliens, ante ingreſſũ litis Conſultor. *Reus locuples* accipitur pro inſtructo omni genere defenſionum & quaſi invicto. *Diuturnus*, cujus nomen ſera abolitione deletur ex albo. *Incolumis*, qui cauſam dicturus in jus non citatur. Id. *Integer, Intentatus, Indemnat9, Indefenſ9, Inauditus*

Totum

Totum illud tempus, quo inter reos receptus aliquis erat, usque dum morte, vel aliâ ratione eximeretur, R*eatus* dicebatur, & R*ei* dicebantur *pendere*. Franc. Pollet. l. 4. Hiſtor. For. Rom. cap. 6.

Rei abſoluti ſiniſtrum pedem Regibus aut Imperatoribus gratias agentes oſculabantur. Senec. lib. 2. de Benef. c. 12. *Cæſar dedit vitam Pompilio Penno, ſi dat, qui non aufert, deinde abſoluto & agenti gratias, porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem. Qui excuſant eum, negant inſolentiæ causâ factum, ajunt ſocculum auratum, imo aurum margaritis diſtinctum oſtendere voluiſſe.* In fine cap. ſubjungit: *Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet, (ad genua enim devolvebantur ſupplices) non hoc eſt* R*empubl. calcare?*

REX nomen generis: *Imperator* officii. R*eges* enim naſcuntur, *Imperatores* creantur.

R*ex ſacrificulus* erat Romanis, qui ſacrorum Rex dictus ſine imperio, ſolo nomine Rex, ſacra, quæ penes Reges erant, obiret ac ceremoniis præeſſet: quem creatum aut in locum decedentis ſuffectum, ſicut reliquos ſacerdotes inaugurari oportebat. A-

lex.

lex. ab Alex. Gen. dier. lib. 3. cap. 27. *Regis* porrò uxor appellabatur *Regina*, quæ & ipſa aliquot ſacra facere ſolebat. De quâ Macrobius in lib. Saturnal. Creabatur autem *Rex* ſacrorum comitiis Centuriatis, quemadmodum apud Gellium lib. 15. cap. 27. refert Lælius Felix. Calvin. Annot. in Liv. lib. 2.

RHAPHANIDOSIS vide *Adulterium.*

RHEDA genus leviculi currus, in quo geſtabantur nobiliores in villas ſuas Publicè Romæ inſtitutum fuit, ut ad portas urbis & per vias Conſulares ab urbe Româ undique in quaſcunque urbis Romanorumve provincias ducentes rhedæ eſſent, quas indigentes declarato pretio in promtu & paratas haberent. Corraſ.

RICA & *Ricula*, certum veli genus quo mulieres Romanæ capita velabant.

RICNUS & *Ricinum*, veſtis antiquiſſima quadrata, à rejiciendo dicta, quia dimidiam ejus partem retrorſum jaciebant. Hildebr.

RINGI dicuntur canes, cum irritati, rictum diducunt, quaſi latraturi aut mor-

morsuri. Transfertur ad eos, qui taciti stomachantur, & qui vultu hilaritatem simulant, cum animo & intimis sensibus angantur, sibique magnopere displiceant. Weitzius.

RIVALES, qui ejusdem amore mulieris tenentur. Plaut. in Stich. *Eadem est amica ambobus, rivales sumus.* Translatio sumta est vel à bestiis, quæ sitientes cùm ex eodem rivulo haustũ petunt, prælium contra se invicem concitant. Vel à re rusticâ: Nam *rivales* dicuntur ii, quorum agros rivus quis determinat, qui incertitudine & mutatione crebrâ cursus, lites sæpè inter eos suscitat. Unde & Ulpianus l. 1. de aquâ quotidianâ, *Rivales*, ait, *qui per eundem rivum aquam ducunt, inter quos sæpè contentio est de aquæ usu.* Calvin. Calepin.

ROGATIO Lex est, sic appellata, quod cum promulgatur, populus rogatur, velitne, & jubeat legem sanciri.

ROGATOR in Comitiis erat, qui, cum comitia haberentur, cistam deferebat colligendis tribus suffragiis. In cistas autem populus tabellas suffragii mittebat

per

per pontes transiens. Turn.l. adv. 13. c. 13.

ROGUS vid. *Pyra*.

ROTA. Rotæ supplicium apud veteres erat tale: Rota in alto constituebatur loco. Cruciandi hac machinâ radiis ipsius ita alligabantur funibus, ut essent axi proximi. Inde necessariò magis flectendum corpus, quod non sine summo cruciatu. Hi miseri dicebantur à Tertulliano *Semaxii*, quia ad medium axem essent ligati. In hac illigatione tria inerant ad cruciatum: Primum, ita nocens illigabatur, ut innecteretur radiis, qui cruciatus summus, cùm miserum corpus ut aptaretur, deberet necessariò frangi, exossari, exvertebrari. Alterum, corpus in hac illigatione, tendebatur, quantum poterat. Tertium, non corpus tantum, id est, truncus ipse, ligabatur, sed etiam manus & pedes.

Transeo ab illigatione ad reliquam carnificinam. In primis corpus pendebat misero quodam spectaculo. Deinde corpus sic pendens rotabatur in gyrum, rotabatur verò velocissimè. Innuit Pindarus quiddam miserrimum in hac rotatione, & dignum, quod consideres.

Non

Non enim rota in unam ſolum partem vertebatur, ſed ita erat artificiata, ut jam in unam partem verſaretur, jam converſim in aliam mutato motu. In iſta converſione circumactæ machinæ effundebantur, id quod neceſſe erat, viſcera: ac membra omnia miſerum in modum divellebantur.

Sequitur, ut dicam comites tantæ carnificinæ: quatuor præcipue invenio: Primò pedibus illigati hominis appendebatur ſaxum, quo corpus mole illa magis premeretur. Deinde iſta carnificina non fiebat ſine igne. Tertio comitabatur flagellatio hanc miſeriam. Quartò demum comitabatur hoc malum mutilatio membrorum. Joh. Ludov. de la Cerda Not. in Virgilian. Æneid. 6. pag. 696. & ſeq.

RUBRICA terra rubra, de quâ vide Dioſcoridem lib. 5. cap. 71. Hac Veteres interdum, interdum etiam minio, librorum indices, id eſt, titulos notabant: quo factum etiam eſt, ut & pro titulis ipſis capiantur. Calvin.

RUDIS virga ſeu gladius è ligno, aut etiam è ferro, ſed hebes. Duplex fuit: Laniſtarum & tyronum. Laniſtæ Rudis, quâ

quâ ſecerni cognoſcique potuit, è ferulâ fuit, quâ novitios gladiatores aberrantes cædebat. *Rudis* ad gymnaſia diverſa ab hac & gladii formâ, fortaſſe etiam ponderoſior. Gladiatores quoque Veterani, cùm à pugnandi neceſſitate eximebantur, libertatem adepti, rude donabantur, & Herculi arma conſecrabant, tanquam Deo Athletarum præſidi, cujus & ara erat in Amphitheatro. Illud innuit Horatius lib. 1. Epiſt. 1.

S

Literam S ſilentii notam involvere conſtat, quandoquidem ſilentium impetrare cupientes linguâ ſonum velut ſibilum, & Literæ hinc proprium efformare ſolemus. Quæ ob id à Græcis *Sigma* creditur appellata παρὰ τὸ σίζειν. Unde Veteres eam foribus tricliniorum & cœnaculorum appingebant; ut eâ notâ ſilentium indiceretur convivis, cùm multa inter bibendum ſoleant liberius effutiri. Latini tamen ad S literam T addidêre, exemplum eſt apud Terentium in Phormione, ST, quod eſt

 indi-

indicium desiderati silentii. Cælius lib.12 cap. 18. A.L. Beyerl.

SACERDOS vox Latina significat *ministrum sacrorum*, h. e. hominem Deo dicatum, consecratumq; ad faciendum sacra. Derivatur enim vox à *sacris*. *Sacra* verò sunt, quæcunque veniunt sub nomine religionis & justitiæ considerandæ, sacræ imprimis leges. Hinc & *Sacerdotes juris*, appellantur: quòd sanctissima res sit civilis sapientia. Spieg.

Sacerdotum duo genera erant apud Romanos: Alterum, quod ad placandos Deos constituebatur, ut sacris præesset solennibus: Alterum, quod prædicta vatum, seu responsa, in quibus arcanum aliquid semper putabant latere, interpretabatur iis, quorum scire intererat. Calvin.

Sacerdotales ludi sunt, quos Sacerdotes ob honorem sacerdotii, ùt cæteri Magistratus, edebãt. Origo ab Augustó est, ùt Güthérius lib.3. de vet. jure Pontificio c.20. docet.

SACRA ancora dicitur, cujus ejiciendæ cura soli magistro, imminente tempestate, utpote in re nauticâ magis versato attribuitur. Vertitur enim in clavo & ancorâ totius navis salus, & sine his vix est, ut

ut periculum evadere quis possit. Et hæc de *sacrâ ancorâ* potissimùm intelligi debent. Duplicem enim ancoram plurimùm benè institutæ naves habent, quarum maximam validissimam *ancoram sacram* vocant, eamque tum demum mittunt, cum extremo laborant discrimine. Vid. Erasm. in Adag. Alterâ vero, etiam sereno cœlo, & ubi ob recessum maris fluctuumque dimisso velo quiescendum est, utuntur. Calvin.

SACRAMENTI Etymologia notissima est; dicitur enim à *sacro*; sed significationes multæ sunt. Prima est, ut *sacramentum* dicatur *pignus à litigantibus in loco sacro positum*. Ut enim scribit Varro l. 4. de L. L. mos erat Romanis, ut cum duo litigabant, tum qui affirmabat, tum qui negabat, deponeret quingenta æris in loco sacro apud Pontificem: finitâ verò lite, qui vicerat, depositum suum reciperet, victus verò perderet, ejusq; depositum suum ærario cederet in pœnam justitiæ litigationis. Illa ergò deposita *Sacramenta* vocabantur, quòd in loco sacro servarentur.

Secunda acceptio est, ut *Sacramentũ* idem sit, quod *Juramentũ*, quod quidem nisi per rem aliquã sacrã fieri non potest, cum Deũ

ipsum testem citet omnis, qui jurat. Est autem hæc acceptio frequentissima in jure civili & Canonico, & in auctoribus tum Gentilibus, tum etiam Christianis.

Tertia significatio est, ut *sacramentum* idem sit, quod *mysterium*, & proinde significet tria illa, quæ *mysterii* voce significari dicimus: nimirum *rem secretam*, & *signum rei secretæ*, & *rem sacrantem & initiantem*.

Sacramenti autem Definitiones apud Theologos passim extant, quarum nonnullas breviter propositas vide apud L. Beyerl. Vid. & *Miles*.

Sacramentum etiam dicitur *militare jusjurandum*, in quod milites, qui nomina dabant, adigebantur: Græci ὅρκον στρατιωτικὸν appellant. Calvin.

Apud Romanos, qui sacramento non tenerentur, licet in castris versarentur; tamen nec hostes prælio lacessere, nec ferire fas erat, ut autoritate Catonis junioris scribit Plutarchus, ejus rei multas rationes adferens problem. 38. Cic. de offic. libr. 1. Tiraq. in Alexand. lib. 1. cap. 20.

SACRARIUM & *sacer locus* differunt: Nam *sacer locus* est locus consecra-

tus.

tus. *Sacrarium* eſt locus, in quo ſacra reponuntur, quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt. l. 9. ff. de divis. rer.

SACRIFICANDI ritus. Victimâ ad aram adductâ Sacerdos manu aram ſtans prehendebat & preces fundebat, initio facto à Jano & Veſtâ, per quos ad cæteros Deos aditum patere opinio erat; Ne quid autem verborum præteriretur, aut præpoſterè recitaretur, de ſcripto præibat aliquis, & alius cuſtos erat, qui attenderet ſedulò; tum alius præſentes linguis favere jubebat, tibicen item canebat, ne quid infauſtum audiretur. Hinc Sacerdos fruges aut molam ſalſam cum thure maſculo in caput victimæ deponebat, qui ritus vocabatur *Immolatio.* Deinde vinum aſpergebatur, quod antea ex ſimpuvio ligneo aut fictili leviter delibabat & aſtantibus guſtandum offerebat, ut pariter libarent, quæ erat *Libatio.* Tum ſetas inter cornua victimæ manu evulſas, tanquam prima libamina projiciebat in ignem, & ad ortum converſus cultrum à fronte victimæ ad tergum ducebat, & tandem victimam Diis ita dedicatam miniſtros jugulare jubebat;

 qui

qui *Cultrarii, Victimarii, Popæ & Agones* vocabantur. Alii admotis vasculis cruorem excipiebant, alii victimam excoriabant & abluebant, alii ignem accendebant. Perpurgata victimâ *Haruspex* sive *Flamen* cultro ferreo viscera rimabatur & explorabat, an perlitatum foret; Inspectis extis, quæ manu contrectare nefas erat, partes certas decisas Sacerdos aræ impositas comburebat; cùm conflagraverat, quod Diis tributum erat, ad epulas ipsi & convivia revertebantur, Diis laudes canebant, pulsatis cymbalis choreas agebant. Suæ autem singulis Diis victimæ erant deputatæ: Superis *albæ* & *impares*, inferis *nigræ* & *pares* mactabantur. Jovi bove candido litabatur; Neptuno, Marti, Apollini tauro, ariete, verre: Cereri lacte, vino, favis, porcâ; Cybeli porcâ: Æsculapio capris & gallinis: Laribus gallo: Soli & Marti equo: Junoni agnâ: Veneri columba: Dianæ cervâ: Pani & Minervæ caprâ. &c. M. Fr. Hildebr.

Stata sacrificia sunt, quæ certis diebus fieri debent. Cicero lib. 1. Tusculan. quæst. *Cum enim illum ad solenne & statum sacrificium*

curru

curru vehi jus esset. Et in Oratione de Aruspicum responsis, *Majores statas solennesque ceremonias.* Ovid. lib. 1. Fastor.

Cùm mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit
Musa, quid à fastis non stata sacra petis?

Livius 3. Decad. lib. 10. Statius lib. 1. Thebaidos,

- Inde hæc sacra stata quotannis
Sollennes recolunt epulæ.

Sacra stata (inquit Lactantius interpres) *constituta, quæ differri nefas est: Stata, ab eo quòd stent, neque mutentur, neque differri possunt,* ut Virgilius lib. 8. Æneidos,

Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assvescite mensis.

Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 16. Vid. Not. Tiraq. in Alexand. ab Alexand. Gen. dier. lib. 5. cap. 27.

SACELLUM. Veterum ea fuit superstitio, ut unusquisque ferè in prædiis suis sacellum haberet, Deo cuidam aut Deæ sacrum. Vid. Bernart. in Stat. Sylv. lib. 3.

Diis

Diis manibus sacra fiebant Sole obeunte, cœlestibus manè, Sole oriente. Atque illa ἔντομα dicta, hæc ἔνοργα. Interpres Apollonii in lib. 1. Arg. Interpres quoque Pind. in Od. 4. Isthm. *Moris fuit Heroibus sacrificare occidente Sole, Diis oriente.* Et quidem per Heroas intelligit subterraneos, nam in dæmones verti Heroas Ethnici putabant. Addit idem interpres Pind. rationem utriusque sacri: *Symboli ea fuit cuique significatio sacrificii, his incrementi, illis interitus.* Vid. Cerda Not. in Æn. 12. p. 689.

SACRUM, Sacrosanctum, Sanctum & *Religiosum*, differunt. *Sacrum* est alicui Deo dicatum, non à privatis, sed publico Civitatis instituto; ita ædes, ara, lucus, signum, quorum ad consecrationem Civitas consensit, *Sacra* dicuntur.

Sacrosanctum, inquit Festus, *dicitur, quod jurejurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet, ut sunt Tribuni plebis & Ædiles ejusdem Ordinis.* *Sacrosancta* sunt tam inanimata, quàm animata: nam & fœdus à Cicerone sacrosanctum dicitur, at sacra tantùm arbitror inanimata esse: homo enim sacer non dicitur, nisi quem impunè licet occidere.

Sancta

Sancta propriè divina sunt, humana verò sacra & sacrosancta, homines autem non verè, sed similitudine bonitatis & sancti & divini vocantur, ita Dii sancti, nec iidem sacri aut sacrosancti.

Religiosum quinque modis accipitur: Nam id nominis convenit & loco, ubi piè colitur, ut delubro, & rei, quæ colitur, ut signo, & homini, qui colit, & tempori, unde *dies religiosi*, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere, & actioni, unde religiosum dicimus die nefasto apud Prætorem lege agere. *Sepulchra religiosa* dici possunt, sacra non possunt. Hæc & plura Manut. de Quæsitis per Epist. l. 1.

Sacer pro *execrando*. Apud Gallos veteres, & signatè Messilienses, Servio admonente, cum urbs peste laborabat, pauper quispiam Diis offerebatur, sacrificabaturque. Hunc anno integro publicis & puris alebant cibis, mox ornatum vestibus sacris verbenisque per urbem circumducebant cum exsecrationibus, ut in illum mala omnium reciderent. Inde est, ut *sacer* pro *exsecrando* sumatur, non quòd verè ita sit: sed quia is, qui sacer Diis, di-

catusque, eo ipso aliorum scelera portare fingebatur. De la Cerda Not. in Virgil. Æn. 3. pag. 276.

SAGARIS vid. *Arma*.

SAGMINA inquit Marcianus in l. sanctum. ff. de divis. rer. sunt quædam herbæ, quas Legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocant κηρύκεια, Latine *Caducei*.

SAGUM vestimentum militare, quod armis superinduebatur, unde ut *Toga* pro pace, sic *Sagum* pro bello usurpatur.

SAL h. e. succus ille concretus & acris, quo condiuntur cibi, est ab ἅλς, ut & ἅλας. Nam sal fit è marinis aquis, ipsa vi naturæ & deinde arte etiam.

Sales, ἅλες, pro *facetiis*, quod salitum & sapidum sint condimentum quasi sermonis. Etiam *sal* in singulari numero pro *facetiis*. Cicero de orat. *nullam artem esse salis* i. e. facetiarum. Idem 7. ad Attic. *literæ sparsæ sale humanitatis*. Catull. epigr. 13. *Et vino & sale & omnibus cachinnis*. Idem Epigr. 84. *Nulla in tam magno est corpore mica salis*.

Sed

Sed & *Sal perpetuitatis* nota est, quia ipse ἄφθαρτος & arcet putredinem. Plin. lib. 31. cap. 9. *defuncta ac putrescentia ita sal vindicat, ut durent ea per secula.* Hebr. *melach* Gen. 19. 26 *Cum intueretur uxor ejus ulterius post eum, Statua salis effecta est*, id est non tantum mutata in materiam salis, sed etiam durabilis ac perpetua. Unde & sese vidisse ipsum Joseph. scribit l. 1. antiq. cap. 12. Origenes vocat *staticulum salis.* Num. 18. 19. *Do tibi & filiis tuis ac filiabus tuis tecum in statutum perpetuum FOEDUS SALIS*, h. e. æternum & immortale. LXXII. αἰώνιον. Bodin. Quod diabolum à *sale* diximus abhorrere, ratione optima nititur : quia *sal* æternitatis est & immortalitatis signum, neque putredine, neque corruptione infestus unquam; sed ipse à corruptione atque putredine omnia vindicans. Diabolus verò nihil procurat aliud, quam rerum creatarum corruptionem & dissolutionem : ut generationem Deus. Quamobrem *salem* mensæ loci sancti omnibusque universe sacrificiis apponi lex Dei impe-

rate

rat. Lev. 2. Quod mandatum ab Hebræis Plato videtur didicisse, cum salem à Diis affirmat diligi. l. 2. Dæmon. c. 2. Vid. Becman. de Orig. Lat. Ling. pag. 577.

Fuit alioquin *Sal* & *amicitiæ* symbolum, durationis gratiâ. Corpora enim solidiora facit, & diutissimè conservat. Unde hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perseverantia significaretur. Quare plerique ominosum habent, si *Sal* in mensam profundi contigerit: contra verò faustum, si vinum, atque id merum effusum sit: Vel quia velut ex aquis sal multis & fusilibus in unum quoddam & solidum coit, ita ex diverso convenientes in unum animi coalescant, fiatque Platonicum illud μιὰ ψυχὴ: quemadmodum Pierius lib. 31. Hieroglyph. cap. 10. interpretatur.

Constat etiam *Salis* olim in mensa quandam fuisse religionem: ut in profanis habitum fuerit, mensam carere salino: contra appositus Sal mensam consecrare videretur, quemadmodùm ex illo Macrobii deprehenditur: *Sacras facite mensas salinorum appositu & simulachris Deorum.* Sed & Valer.

Valer. lib. 1. scribit, *C. Fabritio & Q. Æmilio Pappo fuisse patellam Deorum, & salinum in mensa, in tutelam convivarum.* Unde illud hemistichion Statii: *castæ Genius tutelaque mensæ.* Hinc est, quod ἱερὸς ἅλας Græci dicunt: & Horatius Satyrâ 3. lib. 1. *Salem purum* vocat:

- modo sit mihi mensa tripes & concha Salis puri.

Persius *salinum purum*, & *sine labe*. Sat. 3.

- - Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.

Id quod tam ad naturam Salis, quam Plutarchus lib. 5. Sympos. problem. c. 10. describit, rationes afferens, quare Homerus *Salem* dixerit *divinum*; quam ad mundam victus tenuitatem poterit referri. Quo sensu illud Horatii exaudio lib. 2. Od. 16.

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Significat enim *tenuem* & *parcum*, *pauperemque victum hominum*, pro obsonio Salem lingentium, quod pauperes factitasse, Adrianus Turnebus lib. 10. Advers. cap. 22. ex Persio Satyr. 5. probat.

Vare,

Vare, reguſtatum digito terebrante ſalinum
Contentus perages.

Ubi *terebrare ſalinum*, eſt pauperem eſſe, quod tales nimirum eſſent; qui iſto opere vitam tolerarent, interprete Meurſio in Mantiſſa ad lib. de luxu Rom. cap. 2.

Salis porro, utpote rei tam neceſſariæ nomen ad voluptatem quoque tranſiit, ut quicquid in omni genere gratum eſt, id ſalſum; atque adeo animi quoque ſalacia, *Sales* dicamus Lucanus: *At ſoliti luſere Sales*. Sed & cum dictis facetis & mordacibus aliquem perſtringimus, *Sale eum defricare* dicimur. Horatius libr. 1. Satyr. 10.

- *Sale multo Urbem defricuit.*

Quem tropum Perſius imitatus Satyr. 1. ait:

- *Secuit Lucilius Urbem.*

Vid. Henric. Salmuth. Comment. in Panciroll. tit. 14.

SALARIUM annuam erogationem ſignificat, quæ alicui ſui tuendi exhibendique cauſâ præſtatur, in recompenſationem certi alicujus officii vel artificii. l. ult. ff. de in rem vér.

Jacob

Jacob Gothofredus, in tractatu de Salario, *Salarium* putat à sale 1. dictum verius, ceu à potiori vitæ humanæ elemento seu condimento ; quâ simili productione *Via salaria* 2. Romæ dicta, quoniam illâ Sal in Sabinos portari consveverat, & quia olim Magistratui 3. aliisve [veluti militibus] inter alia stipendii loco sal dabatur : ut & hodie adhuc quibusdam in locis salarium, seu annona salaria, ex tributo salis solvitur, ut Tholoso 4.

Specialiora nomina sortitur *Salarium* pro personarum videlicet & officii ratione : Hinc Judicum & Executorum propriè SPORTULÆ dicuntur, quas à litigatoribus accipiunt, Græcis δικαςικὰ, quas verò in officio publico constituti, omnes de publico accipiunt, ANNONÆ vocantur. Militum *salarium* propriè STIPENDIUM dicitur. Stevvech. ad Veget. libr. 2. c. 19. Græcis ὀψώνιον, quæ vox in N. T. quater occurrit, quanquam & aliis personis tribuitur, quia ὀψώνιον idem cum Diario. Nazianzenus in Oration. contra Julianum. Plinius libro 10. Epistolar.

Advo-

Advocati pro victâ causâ PALMARIUM l. i. §. 12. ff. de extraord. cogn. Ipsi Advocati victores dicuntur *Palmares*; πρέπαιχοι apud Cassiodor. l. 6. 19. Manuariam operam locantium MANUPRETIUM. Varro lib. 4. de L. L. Tertullian. cap. 8. Idolol. Gl. Manupretium χειροδόσιον. Agraria opera accepit PULVERATICUM Theodos. & Valentin. in Constitut. Dicebatur *pulveraticum*, quod servis extra ordinem ad militiam evocatis, quasi pro labore & pulvere dabatur. l. 16. C. Theod. de tyronib. 7. tit. 13. Pariter Rectores provinciarum singulas provinciæ civitates peragrantes, pulveratici nomine quid à Curialibus exigere soliti. Legatorum LEGATIVUM vel VIATICUM; NUTRICIA nutricum. Indicis INDICIUM; proxenetæ PROXENETICUM; φιλάνθρωπον, ἑρμηνευτικόν. Præceptorum MINERVAL; Tertullian. de Idol. & δίδακτρον: Suffragatoris SUFFRAGIUM; militum, gladiatorum, AUCTORAMENTUM. Vide Cl. Dn. Döppleri Rationar. fidelem p. 358. seq.

Addamus, Athletæ præmium recte *athlon* nuncupari: sicut quæ Medico contribuuntur, *sostra* dixeris & *soteria*, ac *iatrea*.

Docen-

Docenti verò *didascalia*, *didactra*. Militi, *aristea*, *epinicia*, *niceteria*. Chirotechnæ autem i. e. artifici, *epichera*. Nuntio, *Evangelia* & *menystra*. Quippiam ferenti, *comistra*. Beneficio *charisteria*. Altori *threptra*. Cæl. L. A. l. 13. c. 30.

SALARIARIUS apud Ulpian. in l. 10. §. 8. manda. dicitur, cui salarium solvitur. Eâdem formâ dictus, quâ fidei commissarius, legatarius, depositarius. Prat.

SALINUM. Veteres plerique, tametsi vas nullum argenteum possidebant, salinum tamen ac patellam Deorum ex argento habebant. Vide Torrent. ad Oden 16. lib. 2. ibi;

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum.

Sine salino autem profanam esse mensam veterum opinio fuit. *Salinum* propriè est patella, in quâ Diis primitiæ cum sale offerebantur.

Salsæ fruges, hoc est, far tostum, molitum & sale conspersum, cujus usus erat in sacrificiis. Dicitur alias *mola salsa*, & conspergebatur eâ frons victimæ, culter & focus, antequam victima mactaretur.

SALII, ut tradit Corras. 1. Miscel. 10. n. 10. dicti sunt à continuo motu, saltuque solenni: Sunt enim omnes Saltatores & laudatores armatorum Deorum, quorum solennitas mense Martio, sumtu publico agebatur per multos dies, quibus choreas per urbem ducebant. Iis datum est, supra tunicam insigne æneum, pectori tegmen, cœlestiaque arma, quæ vocantur *Ancilia*, portare ac per urbem canentes carmina cum tripudiis, solennique saltu incedere, institutumque, ut in fine omnium carminum suorum Mamurium appellarent. Hæc Corras. Calvin. Vide *Ancile*.

SALTUS appellabant Veteres pascua loca & pastionibus accomodata. l. pen. §. ff. si servit. vind. Calvin.

SALUTARE Veteribus idem fuit, quod *adorare*. Adorare autem propriè est, ad nos admovere. Observatum hoc in Deorum salutatione. *Multi enim eminus stantes, quod Deos ore profano tangere verebantur, manum porrigebant, eamque ad os suum relatam suaviabantur*, ut Lipsius admonuit lib. 2. Elector. cap. 6. & Muret. Variar.

riar. lection. lib. 10. cap. 1. Cum quibus facere videtur Adrianus Turnebus lib. 12. Adversar. cap. 6. & lib. 25. cap. 1. Ubi *Veteres solitos scribit in portis urbium aliqua Deorum simulachra statuere: quæ, qui urbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, tacta dextra manu salutare consueverant, moxque manum ad osculum referre.* Lucretius:

- tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpè salutantum tactu præterque meantum.

Hinc *salutare Deos*, pro Adorare, Plautus usurpat in Sticho. Scena, ita me Dii ament.

Deos salutatum devortor.

Item pro *Ori admovere*, argutè & festiviter posuit in Amphithr. Scen. 10.

Nec Bacchum salutem hodie, nec Cererem, ni purgari jusseras
Vasa, ut rem divinam faceres.

quasi diceret: *Precor, ut nec potum, nec panem ori hodie meo admoveam, ni purgari jusseras vasa, &c.* ut Schoppius rectè interpretatur lib. 1. verisim. cap. 8. Hinc qui Principem salutabant, *sacram ipsius purpurā adorare* dicebantur: quia sc. dextram

manum, quam primum hac purpuream ipsius vestem attigissent, ad os admovebant & suaviabantur: quemadmodum Auctor noster ex adductis juris nostri locis ostendit, ac notat Accursius in l. 4. C. de consulib. lib. 12. Vid. plura in Commentar. Henr. Salmuth ad Panciroll. P. 1. tit. 46.

Salutatores Romæ passim divitum & potentiorum limina obiisse, & matutinum *Ave* portasse, vulgatum est. Unde Martial. l. 1.

Et matutinum portat ineptus Ave.

Quo alludit Virgil. lib. 2. Georg.

Ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum latis vomit ædibus undam.

De his Seneca lib. 6. de benef. cap. 34. Officiosæ hujus salutationis hora fuit antelucana. Juven. Sat. 3. & 5.

SANCTA propriè sunt, quæ neque sacra, neque religiosa, neque profana sunt, sed sanctione quâdam confirmata. Hinc leges *sanctæ* dicuntur, quia sanctione quâdam subnixæ sunt. Quod enim sanctione quadam subnixum est, id sanctum est, etsi non sit Deo consecratum. l. 9. §. proprie. ff. de rer. divis. A *sanciendo sanctum* dictum est, quasi incorruptum & inviolatum. Calvin.

SAN-

SANCTUM, ut Festus ait, *veteres dicebant, quicquid splendidè apparatum, magnificum, opiparum & lautum esset.* *Sanctæ nuptiæ*, id est, solennes ac religiosæ: intelligit ergò apparatus religiosà ac solenni pompa.

SANDAPILARII, Pollinctores & Libitinarii dicebantur, penes quos funerandi cura versabatur. Hi à Græcis νεκροφόροι καὶ νεκροθάπται, teste Ulpiano dicuntur, quasi *Defunctiferi*, qui Sandapilarii & Vespillones dicuntur, non multum dissimiles his *vulturiis codonophoris*, id est, tintinnabula gestantibus, quos *Anteambulones* atratos Latinè appellare possumus, & *ferales præcones*, auctore Budæo. *Sandapilæ* sunt pharetræ & defunctorum capuli. Calvin.

SANNA propriè dicitur: cum gestu aliquo mimico exprimitur, quod volumus objicere ei, quem ridemus. Casaub. in Sueton. Calig. cap. 56. Scitissimè alibi: *Nos* (inquit) *suspicamur, originem vocis esse ab Hebræor. verbo* שָׁנַן *acuere, unde* שֵׁן *dens: &* שְׁנִינָה *aculeata oratio, cujusmodi est sanna.* Hæc ille.

Conſpicuum ergò, quid propriè *ſanna* ſit. Nempe λοιδόρημα, aut dictum, quod pungit & lauciat quaſi; *ubi lingua acuitur*; ubi

Ricta fremunt duros nudantia dentes.

Apul. l. 7. Met. *Dentiumque cadentium renudatis haſtis, totum me commorſicat.* Et πρὸς ἔπος planè Hieron. *Sanna* eſt irriſio, quæ ab occipitio, diſtorto ore, & labris contractis fit, anteriorum dentium oſtentatione. Inde illud Perſii declaratur:

- - - *Rugoſaque ſanna.*

Dum enim os torquetur aut labia, & criſpantur nares, fieri rugas oportet. Becm. de Or. L.L.

SARCOFAGUS *ſepulchrum* & *capulum* ſignificat, quod ex ſacrofago lapide fiſſili corpora celerrimè conſumente, qui in Troade plurimus naſcebatur, fieret, ut Iſidorus l. 16. cap. 4 ſcribit.

SATRAPA. Id magiſtratus nomen neque Romanum, neque majorum noſtrorum, ſed ex altero imperio traditum fuit. Juſtinianus Nov. 31. 2. Uſurpata tamen hæc vox Terentio Plinioque. *Satrapæ* provinciis præerant, eorumque fidei

dei & curæ committebantur. Horum utique muneri & officio incumbebat, provincialibus imperare, eorum utilitatibus prospicere; tributa cogere, primisque custodibus stipendia exsolvere: & quicquid insuper facto opus esset, effectum dare. Hujusmodi provinciarum Præsides Regem de toto provinciarum, quas regebant, statu, certiorem faciebant: literisque & per nuncios, ut se res haberent, significabant. Not. in Q. Curt. l.3. cap. 13.

SATURNALIA dies 17. Decembris Saturno sanctus, quo passim clamabatur: *Io bona Saturnalia*; servi usurariam quandam libertatem habebant, & ad Dominicam mensam sedebant, ipsis Dominis præministrantibus, cum quibus & vestem commutabant. Lips. l. 1. Saturn. Serm. c. 2. Mittebantur etiam Patronis & amicis *Munera Saturnalitia* appellata. De Convivio Attius.

Exercent epulas læti famulosque procurant
Quisque suos.

Apud Græcos mensis erat *Anthisterion* à floribus dictus, & in ea festa sua

servi peragebant, in quibus ipsis ab operę feriatis accumbere licebat; feriis autem exactis ad operas solitas revocabantur hac formulâ: *Foras Cares, non amplius anthisteria.* Conf. Adag. Erasm.

Calendis Martiis munera mulieribꝰ mittebantur ab amicis, sicuti mense Decembri quinque diebus viris, quo tempore *Saturnalia* celebrabantur. Et quemadmodũ mulieres Calendis Martiis servos cœna excipiebant, tanquam exhortantes eos ad insequentis anni operam: Sic & viri in Saturnalibus servos in cœnam admittebant, tanquam eis gratias agentes operæ toto anno navatæ. Joannes Britannicus. Vide Annotationes Andr. Tiraqu. in Not. ad Gen. Dier. lib. 6. cap. 4.

SATYRA carmen est maledicum & ad carpenda vitia compositum, quamvis etiam absque maledicentiâ & mordacitate fieri possit, ad instructionem ignorantium & vitiorum emendationem. Scribebatur autem ad modum Comœdiæ veteris, quam ἀρχαίαν vocabant Græci, de quâ Horat. l. 1. Sermon. Sat. 4. Beyerl.

SCALA vid. *Machina.* it. *Cœnaculum.*

SCA-

SCAPHISMUS erat ſupplicii genus apud Perſas. Cujus meminit Eunapius de vitis Philoſophor. in Ædeſio, idq́; fiebat hoc modo: Scaphis duabus, quæ committuntur ac coagmentantur, ita includitur homo totus, ut promineat foris caput cum manibus pedibusq́; dein jubetur edere, aut ſi nolit, cibum allatum capere compellitur, compunctis etiam oculis: Infundunt quoque lac melle miſtum, radiisq́ue Solis adverſis objiciunt, ubi facies prius illita muſcis apibusq́ue oppletur: interim ab excrementis cùm veſicæ, tum alvi inter ſcaphas verminantibus corpus miſerè abſumitur. Vid. & Plutarch. in Artoxerxe.

SCENA. Comœdias dicunt nataś in agris, educatas in urbibus. Nam cùm ſe ruſtici oblectabant, theatra tunc non habentes, ex frondibus arborum ſpatium locumq́ue adornabant, qui locus *Scena* dictus ab umbrâ, ἀπὸ τῆς σκηνῆς. Mox illatis in urbem Comœdiis idem nomen remanſit.

SCENICI ſunt ludiones ſeu ludii, qui in ſcena ludos agunt: aliàs *hiſtriones* dicti, ut ſunt omnes, qui quæſtus causâ in ſcenam prodeunt notabiles, veluti

ludi mimi, histriones, Auctore Ulpiano.

SCEPTRUM aliquando, & virga in eodem sensu accepta, est symbolum regni, sicut & corona: quia Reges sceptra gestare solebant, sive ad judicandum rectitudinem, quæ in regimine inesse deberet: sive etiam severitatem: quandoquidem sceptrum rectum simul est & etiam instrumentum, quo percutere aliquem possit, sicut Ulysses Thersitam percutit sceptro. Vide Calvin. Lex. Jurid.

SCHOENOPHILINDA, des Hirtleins/ ludus est, quo in circulo sedetur aut statur: unus autem funem habens clam apud aliquem deponit. Si verò ille, apud quem jaceat, ignoraverit: circulum circumcurrens vapulat: Si verò deprehenderit, currentem fugat verberibus. Funis, cui nostrates hodiè ferulam substituerunt, Græcis est σχοῖνος.

SCHOLA, σχολὴ, sonat quidem idẽ, quod *otium*: sed non significat ignaviam sive inertiam, sed cessationem à rebus minus gratis & nimis operosis, ad jucundiorem contemplationem rerum in ludis literariis.

Scholæ

Scholæ Romanis dicebantur *gymnaſia*, in quibus gladiatores ſeparati ab aliis ſervilibus, diſcebant artem palæſtricam. Inde noſtra *aſceteria* literaria vocatur etiam ſcholæ.

Scholæ privilegiis amplioribus inſtructæ dicuntur *Academiæ* & *Univerſitates*. Micr.

Philoſophi veteres à ſcholis ſuis, tanquam à templis & myſteriis abigebant illiteratos; Hinc ſcholæ Pythag. inſcriptum:

Cantabo doctis, age vanis claudite portas.

Et Platonis: *Expers Geometriæ ne ingreditor.* Neand. in Phocylid. Xenocrates cuidam Philoſophiæ ignaro ſcholam ſuā frequentaturo dicebat: *Abi, anſam non habes.* Laert. lib. 4. cap. 2.

SCIMPODION erat lectulus diſcubitorius, quod unum tantùm hominem capiebat. Quibus ad menſam uterentur, ſed etiam corpore laſſo aut debilitato, út teſtatur A. Gellius N. A. lib. 19. cap. 9.

Σκιμπόδιον autem diminutivum eſt à σκίμπους, quod à Polluce Onomaſt. lib. 10. c. 7. inter κλινῶν genera refertur. Heſychius & Suidas κράββατον, hoc eſt, lectum humilem eſſe dicunt. Not. in A. Gell. libr. 19 cap. 10.

SCITA-

SCITAMENTA. Onomasticon vetus: ἡδύσματα. Sic dicuntur *scita edulia & mellita.* Plautus Menæch. Act. 1. Sc. 3.

Jube nobis tribus apud te prandium accurarier
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonari.

Apul. Milef. l. 10. *Crustula, lucunculos, hamos, laterculos & complura scitamenta mellita.* Et Macrob. alicubi: *Popinatores scitamentorum.* Sic Gell. l. 18. c. 8. *Scitamenta* figuratè pro *loquendi leporibus* dixit. Not. in Gell. libr. 20. c. 9.

SCOMMA est morsus figuratus, qui sæpè fraude, vel urbanitate tegitur, ut aliud sonet, aliud intelligatur, nec tamen semper ad amaritudinem pergit. Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 3.

Cùm unum nomen scommatis sit, diversi in eo continentur effectus. Ideò apud Lacedæmonios inter cætera exactæ vitæ instituta, hoc quoque exercitii genus à Lycurgo est institutum, ut adolescentes & scommata sine morsu dicere, & ab aliis in se dicta perpeti discerent. Ac si quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapsus fuisset, ulterius ei in alterum dicere non licebat. Plutarch. in Sympos. 2. q. 1.

SCRI-

SCRIBARUM ordo apud Romanos honeſtus erat, nam hominum erat ſanctiſſimorum & innocentiſſimorum, quorum fidei leges & tabulæ publicæ committebantur, ut eſt apud Ciceronem act. in C. Verſ. 5. Imperatores ſuperatis hoſtibus, optimè Republicâ geſtâ, ſcribas ſuos annulis aureis in concione ſæpe donarunt. Spieg.

Antiquitus majuſculis, quibus nunc in capitibus propriorum nominum, & verſuum locus eſt, iis totos libros perſcribebant: minuſculas Notariis relinquebant, quarum uſum Papyrianus non niſi negotioſis, & occupatis indulgebant. Quare quæ de literarum formâ Quintilianus & Plinius, niſi de majuſculis noſtris audiri non poſſunt. Id eſt, cur E & F, C & G, P & R, toties invicem locum commutarint, quod abfuiſſet, ſi minuſculas uſurpaſſent. Jan. Palmer. Spicileg. Comment. 1.

Scribarum officium apud populum Romanum quale fuerit, Cicero in Verrinâ 5. docet: Item in Oratione pro domo ſuâ. Æmilius Probus in vitâ Eumenis. Plura videſis in Lexico Jur. Calvini.

Vetus

Vetus ſcribendi ratio differt ab hodiernâ vel

QUANTITATE

in Additione

Vocalis I. Eidem pro Idem. Leitem pro litem. O. Jous pro Jus. Souo pro ſuo. Queicuomque pro quicunque. U. Juus jus. Arbitratuu. Luuit.

Conſonantis N. Quotiens. S. Exſigunt. Exſercere. Amaſſo pro amaſo, & hoc pro amâro ſeu amavero. P. Quips pro quis. ST. Stlis pro lis. Stritavus. D. Tuad. Plebed. Marid. Eſtod.

Syllabæ. ùt Poſtidea. Indoteſtato.

Detractione

Vocalis O. Fenus. Femina. Heres. U. Popli pro populi. I. Adicito. Subice. Diſice. Reice.

Conſonantis S. Oſa pro oſſa. Claſe pro claſſe. Juſit pro juſſit. R. Acera pro acerra. L. Pelex pro pellex.

Utrâque

ùt jouſit pro juſſit. Jouſus pro juſſus. Poplei pro populi.

QUALITATE

in Commutatione

Vocalis

Vocalis E pro I. Leber pro liber. Menerva. Præſentebos pro præſentibus. O pro E. Vorſus pro verſus. Voſter. O pro U. Servos pro ſervus. Volnus. Dicont. Piacolom. Noctebos. OE & OI pro U. Cœrare pro curare. Oitier pro utier. Oitile pro utile. U pro E. Dicundo, faciundo, ferundo. U pro I. Optumus, maxumus, æſtumare. U pro O. Adulefcens. Epiſtula. U pro Y. Æguptus. Surius. Sulla,

Conſonantis C pro G. Cenas pro genas. Lece pro lege. Lecio pro legio. Rocum pro rogum. D pro L. Fidius pro filius. Dingua pro lingua. D pro R. Fedetrius pro feretrius. F pro B. Af virod pro ab viro. Sifilus pro ſibilus. L pro D. Delicat pro dedicat. Q pro C. Pequnia. R pro D. Arlabi pro adlabi. Arfinis pro adfinis. S pro R. Aſa pro ara. Casmen pro carmen. Minoſe pro minore. Amaſo pro amaro. T pro D. Alexanter. Caſſantra. Ser. Quit.

Præpoſitionum, ut: Inluſtris. Adfectus. Conlega. Optineo. Exfociont pro effugiunt.

Utris

Utriusque, ut Arcuefit pro arguerit. Exfociont pro effugiunt.

QUANTITATE & QUALITATE.

Ut Adecito pro addicito. Addeictos pro addictus. Continoeis pro continuis. Deicundo pro dicendo. Endo pro in. Fasis pro farris. Fousiosos pro furiosus. Maxsumo pro maximo. Oloi pro illi. Poplos pro populus. Præseted pro præsente. Præsentebos pro præsentibus. Proxsumos pro proximus. Sopera pro supra, Aula pro olla.

SCRIBERE Nummos, est nummos non præsentes solvere: sed pro his in certum diem solvendis, apud trapezitam se obligare, & per argentarium in certam diem cavere redditum iri nummos, qui debeantur.

Apud mensam enim veteres magnam pecuniæ partem deponebant; idcirco eveniebat sæpenumerò, ut à debitoribus interdum quidem *de domo*, interdum verò *de mensa* creditoribus satisfieret. Siqúe in foro ab argentariis pecuniæ fieret numeratio, in tabulis addebatur, *Ex mensæ scriptura:*

Sin

Sin verò domi, ſyngraphæ adſcribebatur: *De domo.* ſive *Ex ciſtâ* vel *ex arcâ.* VVeitz. in Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 7.

SCURRA is dicitur, qui riſum captat ſpectantium aut ſe audientium, non habitâ ratione dignitatis aut verecundiæ. Variis appellantur nominibus; vel enim à diſcurrendo *Scurræ*: ab imitando *Mimi*: ab errando *Errones*: & *Circumforanei* à populi concurſu, & *Agyrtæ* dicuntur. Beyerl.

Scurræ & *Mimi* olim ad exequias adhiberi ſoliti. Vid. Sveton. in Veſpaſ. cap. 19. it. Tiber. cap. 57.

SCUTUM, cui nomen παρὰ τὸ σκύτος, à loro, quia è corio factum. A *clypeo* formâ differt: quæ enim rotunda, *Clypeos* dixêre; quæ in longum exibant, *ſcuta*. Hodie tamen hæc nomina confunduntur. Latitudo ſcuti in gibbâ ſuperficie duorum pedum & ſemis, longitudo pedum quatuor; atque ita totum hominem tegebat leviter ſe inclinantem; exterior ſuperficies corio vituli aut potius bovis tegebatur, extrema curvatura ſeu margo in ſcuto ferreus erat ad ſuſtinendos ictus; media pars ſcuti, quæ protuberat & exſeritur, cum

rotundo tumore, *umbo*, utplurimùm è ferro fuit, quandoque & umbo aureus & margo argenteus.

Scutis etiam varias picturas, formas aut colores solebant addere, ùt imaginem delphini, draconis, &c. interdum & nomina vel Imperatorum, vel Centurionum, aut etiam sua ipsorum scutis inscribebant. Hildebr.

In scutum elevatio. Non barbararum tantùm gentium, sed ipsorum aliquando Romanorum moris fuit, ut quem Imperatorem facerent, eum in altum tollerent. Marcellin. libr. 10. de Juliano, à Gallicanis militibus Principe renunciato. *Impositusque scuto pedestri & sublatius eminens, populo silente Augustus renunciatus, jubebatur diadema proferre.* Sunt & alia hujus moris exempla plura in Græcorum Annalibus.

SECESPITA cultrum ferreum oblongum manubrio eburneo, rotundo, vincto ad capulum auro argentoque, fixo clavis æneis, quo Flamines, Flaminicæ virgines & Pontifices ad sacrificia utebantur, à secundo dicta. Hildebr.

SECTA, Græcis αἵρεσις ab *eligendo*, nunc

nunc in pessimam partem accipitur de falsâ doctrinâ ac religione ejusq; sectatoribus. At olim vox utraque generale nomen fuit, tàm ad malas, quàm ad bonas sectas.

SECTIO Latinè dicitur, quæ postea *confiscatio* appellari cœpta est : quum alicujus bona publicantur, derivata ex eâ adpellatione, quòd prædam ex hostibus captam milites inter se secabant ac dividebant. Cæsar libr. bell. Gallic. 7. *Postridie ejus diei refractis portis, quem jam defenderet nemo, atque intromissis militibus nostris sectionem ejus oppidi universam Cæsar vendidit.* C. Tacitus : *Reliquas sectionum Neronianarum nondum in fiscum conversas revocatis ab exilio concessit.* Cicero de Invent. 2. *Hoc commodè reprehenditur, si dici possit ex hostibus reus esse captus, cujus prædæ sectione venerit.* Calvin

SECUNDOCERIUS vid. *Primicerius.*

SECUNDUS vid. *Augurium.*

SENACULUM, Senatorum locus ubi Senatus consultandi gratiâ habebatur.

SEMPITERNUM ad Deos;

PERPETUUM propriè ad homines pertinet. Donat.

Senator apud Lacedæmonios cùm primum creatus eſſet, veteri & laudabili more omnia Deorum templa frequentabat coronatus. Plutarch. in Lycurg.

SENATUSCONSULTUM vocatur, quod Senatus ſine plebis arbitrio facit, jubet. Nam cùm populus difficile congregaretur, cura Reip. ad Senatum deducta eſt, qui ſe interponere cœpit, atque rerum ſatagere. Et, quia ad Reipub. gubernationem legum ſanctio ſupra alias res perneceſſaria videbatur, jus, quo ampliatæ ſunt leges prius latæ & interdum abrogatæ, Senatus conſtituere cœpit. Idq́; jus quod ad Senatus fieret conſultationem, *Senatusconſultum* fuit appellatum, ut ſcribit A. Rivallius lib. 3. hiſt. jur. civil. *Eſt itaque Senatusconſultum* (ut JCti definiunt) *quod Senatus rogante Conſule jubet atque conſtituit.* Et frequenter ab Conſulis interrogantis nomine, ipſa Senatusconſulta dicebantur. Hinc à Claudio, Libonio, Orficio, Pegaſo, Syllâ, Tertyllio, Trebellio, Turpilio & Vellejo, *Senatusconſultum Claudianum, Libonianum, Orficianum, Pegaſianum &c.*

Senatusconſulti forma duplex erat: *Altera,*

ut

ut ſinguli Senatores per Conſulem interrogati dicerent ſententias, quod ſemper de rebus graviſſimis (ſi modò tempus ferret) fieri ſolebat. *Altera*, ut cum primus dixiſſet, diſcedens mox in aliquam partem, cæteri tum, qui ejusdem ſententiæ eſſent, eodem irent. Quod *per diſceſſionem* appellabatur. Et, *In ſententiam ire*, vel *pedibus in ſententiam ire*. Item, *In eandem ſententiam concurrere*. Calvin.

Unde formula illa, quâ Conſul diſceſſionem hujusmodi permittebat: *Qui hæc ſentitis, in hanc partem: Qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis.* Plin. ep. 14. l. 8.

SENTENTIA. Dicturi *ſententiam* in Senatu (hoc *cenſere* dicebant) ſurgebant, cum dixiſſent, reſidebant. Tum ab aſſentientibus acclamabatur; reclamabatur ab iis, qui diſſentirent, quanquam utrumque adhuc, cum dicerent, etiam fieri ſolebat. Ita vel obtinebat ſententia aliqua, vel vincebatur. Vide Plin. epiſt. 13. libr. 9. Cæterum acclamationes & reclamationes hujusmodi non ſimplices erant, ſed vel cum laudibus vel cum conviciis conjunctæ. Vid A. Buchn. in Plin. epiſt. 91. lib. 4.

SEPLASIARII, Pantapolæ & Dardanarii Cujacio lib. 10. Obierv. cap. 19. promiſcuè uſurpantur, quo genere hominum nihil eſt fraudulentius, nihil iniquius in onerandâ annonâ mercium quarumlibet.

SEPTEMVIRI erant, qui ſacris epulis præerant, cœnarumque Pontificum, quæ *Adjiciales* dictæ ſunt, curam agebant: *Epulones* appellati: qui ſi qua justa & ſolennia ſacris deeſſent, ad Pontifices referebant. Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 3. cap. 16. Spieg.

SEPULCHRA erant fornices, ſive antra concamerata, in quorum parietibus circumcirca loculi exiſtebant, in quibus ſingulæ pluresve urnæ cum defunctorum cineribus locatæ fuerunt, exterius clauſæ tabellis marmoreis, in quibus nomina depoſitorum de more erant adſcripta. M. Hildebr.

Ægyptii domos diverſoria, *ſepulchra* domos ſempiternas vocabant. Ideò domus ædificandæ curam contemnentes, ſepulchra ſplendidè ædificabant. Diodor. lib. 1.

Veteres optabant caprificos ſepulchris co-

eorum, quos oderant. Propert. Eleg. 5. lib. 4.

Urgeat hunc supra vis caprifice tua.

Sed etiam tumulis eorum, quos habebant charos, sentes & dumos excidere purgareque solebant. Propert. eleg. 7. lib. 4. *pelle ederam tumulo.* Cædere & saxis busta eorum solebant, qui invisi fuerant. Propert. eleg. 5. lib. 4. *Scabris hoc bustum cædito saxis.* Eodem Maronis illud pertinet:

Monte sub hoc lapidũ tegitur Ballista sepult9.

Turneb. libr. 23. cap. 6.

Veteres plerumque sepulchra mortuorum collocabant ad maris litora. Virgil. Æn. 6.

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.

Sic lib. 7.

Tu quoque littoribus nostris Æneia nutrix,

Sed & Ajacis, Hectoris, aliorumque Herorum tumulos collocatos fuisse ad maris litora, notum. Huic mori vicinus alius, quo veteres ad amnium ripas humabantur. De la Cerda Not. in Virgil. Æn. 6. p. 228. & p. 736.

Sepulchris imponebantur defunctorum insignia. Vid. ibid. pag. 635.

SEQUESTER Festo is dicitur, *qui inter aliquos, qui certant, ut inter eos convenerit, depositum ita tenet, ut ei reddat, cui id deberi jure sibi constiterit.* Brevius Modestinus ait, *Sequestrum esse, apud quem eandem rem, de quâ controversia est, deposuerunt.* Servius ad lib. 11. Æneid. *Sequester est aut medius inter duos altercantes, aut apud quem aliquid ad tempus seponitur.*

SERIÆ (inquit Budæus lib. 5. de Asse) erant grandia vasa, ut dolia, unde vinum ad vetustatem servandum, in vasa minora diffundebatur. Vas etiam *seria* erat variæ capacitatis, ad multos usus accommodatum, eodem Budæo teste. Vid. Calvin. Lexic. jurid.

SERIES vid. *Ordo.*

SERVI dicuntur, quibus libertas arbitrio suo vivendi adempta est, itaque liberis opponuntur, & ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent. Calv.

Non eadem ratio erat servorum, qui elegantiæ & floris ætatis caussa emebantur, atque eorum, qui ministerii. In his novitia servitia precio cedebant veteranis: quod

quod vel Græcorum vox νεώνητος indicat: dicitur enim per contemtum atque ἀπελωσμὸν ut ἀλώνητος. In illis recentissima quæque gratissima, & jucundissimi usus: nempe quorum formam vultumque adhuc nullus labor deturparat. Ea fine excogitata multa à veteribus mangonicæ artis peritis, ut quàm tardissimè flos ille ætatis, quo pædagogia ista commendabatur, præteriret. Is. Casaub. Comment. in Sveton. Jul. Cæs. cap. 47.

Servorum varii erant ordines: Videlicet *Dispensatores, Atrienses, Ostiarii, Obsonatores, Cubicularii, Nomenclatores, Focarii, Lecticarii, Villici.* De singulis suo loco.

Servi literati olim sic dicti, quòd in corporibus ipsorum imprimerentur signa cujusque Domini. Nam Græcis notatum esse inscriptum, insigne olim fuit servitutis. Calvin.

Servi aut *nascebantur*, aut *fiebant*. *Nascebantur* è servo & ancillâ, inter quos erat non quidem matrimonium, sed contubernium. Itaque dicit Plautus prologo ad Casinam:

Sunt hic quos credo nunc inter se dicere,

Quæso hercle quid istuc est, serviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentiū.

Fiebant servi captivitate ex hostibus aut venundatione. Pater egenus vendebat filium suum, ut precium aliquod acquireret in summâ caritate annonæ. Vide Kipping. Antiquitat. lib. 4. cap. 1. pag. 566.

Antiquitus moris fuit, ut dum præco venales prædicaret, interea saltarent ipsi in circuitu per coronam, ut agnoscerentur, quales essent. Propert. lib. 4. eleg. 5.

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cum saliere foro.

Hinc cognoscitur, cur Diogeni non fuerit permissum, ut sederet. Casaub. Notis in Laert. Vid. *Titulus.*

Dominium in servos tum summi juris, tum summæ injuriæ erat. Pecudum enim potius, quàm hominum numero censebantur. Diceres, omnes penitus dominos professos fuisse Stoicam sectam; adeò illis altè insederat, omnia servorum peccata æqualia esse. Quo factum est, ut servi nuper emti non quærerent, an superstitiosum vel invi-

invidum, ſed an iracundum herum nacti eſſent. Pignorius.

Lautiores ſervi alios quaſi *ſubſervos* habebant,& qui vices eorum gererent. Inde *vicarii* dicti. Gloſſar. *Vicarius* δȣ̃λȣ δȣ̃λος. Martial. *Eſſe ſat eſt ſervum, jam nolo vicarius eſſe.* A Juſtiniano deſcribitur ſervus inferioris notæ, & ipſius ordinarii ſervi ſervus. Lipſius notis in Senecam de Tranquillit.

A patriâ & locis, unde venerant, ſervis antiqui nomina imponebant, ùt de *Davis* & *Getis* meminit Strabo libr. 7. Sic apud Comicos *Syrus*, *Lydus*, *Myſis*, *Syria*, *Lydia*, *Myſia*, *Phrygia*. Semper autem nomina Comicorum ſervorum, aut à nationibus ſunt indita, ut *Myſis*, *Syrus*, aut ex accidentibus, ut *Lesbia*, velut ebrioſa, à Lesbo inſula, quæ eſt ferax ſvaviſſimi candidiſſimique vini: aut à moribus & vernilitate, ut *Pſeudolus*: aut ex negotio, ut *Chryſalus*: aut ex qualitate corporis, ut *Thrylacus* (an Chylacus) aut ex ſpecie formæ, ut *Pinacium*. Donat. in Terent. Andr. Act. 1. Scen. 3.

Quam varia fuerint ſervis nomina apud varias nationes, oſtendit Alex. lib. 3. cap. 20.

Pueris

Pueris nonsolùm dabantur pædagogi, sed etiam *servuli*, qui in ludum euntes sequerentur, & libros ferrent. Usitatum & Romanis. Et inde servi, qui capsam ferebant, in quâ libri, ceræ, stylus & cætera ad rem literariam necessaria reponebantur, *capsarii* vocati. Meminit etiam *pædagogorum*, & *capsariorum* Svetonius in Nerone &c. Bernardin. Martini Variar. lib. 2. cap. 15.

Ut adolescentibus *servuli* custodes dabantur, ita puellis *servulæ*, quæ in lanificio unà essent, eas sectarentur, & curarent: ii, eæque, ut Jurecònsulti loqvuntur, peculiares illis plerumque erant, hoc est, in peculio. Jan. Gvilielm. lib. 2. cap. 17.

Servi dum verberabantur nudi pendebant, manicis brachia ad trabem astrictis, & pedibus deorsum versus terram missis, quibus pondus aliquod alligabatur, ne inter vapulandum calcitrarent, neve pedibus, aut calcibus eos, à quibus verberabantur, peterent. Hoc liquidum fit maximè ex Asinaria Plauti, ex consalutatione nimirum, & primo congressu duorum servorum Libani, & Leonidæ, quos versus videsis.

SESQUI vocabulum, ſive in adpoſitione, ſive in compoſitione inventum fuerit, dimidio majus ſignificat: ut *ſesqui altera pars*, id eſt, pars altera dimidio major, quàm prior. Spieg.

SESTERTIUS nummus à ſemiſſe tertio dictus, quòd duos aſſes & ſemiſſem tertii contineret, ut Vitruvius, Feſtus aliique teſtantur. Fuit quarta pars denarii, qui antea decuſſem, poſtmodum XVI aſſes valuit. Valebat igitur antiquitus *ſeſtertius* duos aſſes & dimidium, poſtmodum quatuor aſſes, aucto denarii precio. Monetâ Belgicâ ſeſtertii triceni juxta Voſſium Caroleum [qui eſt viginti ſeſtertiorum] & dimidium valent. Not. in Gell. l.2. c. 24.

SICARIUS à ſicâ dictus, qui ferro aut telo cædem facit. *Sica* cultellus ferreus recurvus inſtar acinacis Perſici, qui ſinu veſtis occultari poterat, eoque in proclivi erat nec opinantes confodere, maximè in turbâ. Hildebr.

SICINNIUM genus veteris ſaltationis fuit: Saltabundi autem canebant, quæ nunc ſtantes canunt. A. Gellius lib. 20. cap. 3.

Σί-

Σίκιννις, ὄρχησίς τις σατυρικὴ Σατύρων, σύντονος, ἀπὸ τοῦ σείεσθαι καὶ κινεῖσθαι. Hesychius. Erat enim saltatio maxime motoria, gesticutationibus creberrimis & celerrimis constans; unde & Satyrorum propria haberetur.

Nomen traxisse quidam volunt à Sicinno quodam barbaro, vel ut alii, à Cretensi. Ita Athenæus lib. 1. *Saltatio Satyrica, quæ & Sicinnis dicitur, unde & ipsi Satyri Sicinnistæ appellati. Hujus inventor fuit Sicinnis quidam barbarus; vel, ut nonnulli volunt, Cretensis fuit Sicinnus.* Clemens Alexandrin. Pædag. lib. 1. cap. 7. refert Sicinnum, qui saltationis genus invenit, liberorum Themistoclis pædagogum fuisse: *Et Themistoclis liberorum pædagogus Sicinnus, ignavus fuit famulus, eum dicunt saltasse, & saltationis genus, quod Sicinnis dicitur, invenisse.* Quamvis Lucianus περὶ ὀρχήσεως, à Satyris Bacchi ministris, saltationem Sicinnin inventam & nomen accepisse scribat: *Cum tria sint celeberrima Saltationum genera, puta Cordax, Sicinnis & Emmeleia, quibus Satyri Bacchi ministri inventis singulis à se nomen indiderunt.* Ab hoc saltationis genere

Sicin-

Sicinnistæ dicti, qui *Sicinnin*, sive, ùt Gellius ait, *Sicinnium*, saltarent, atque in eo excellerent. Vossius in Etymologico, *Sicinnistas* vult esse mimos, qui vitam mortui repræsentarent, & *sicinnium* saltarent; & Gellii verba subjicit; ex quibus tamen de vitæ mortui repræsentatione nihil hauries. Sic Jul. Cæs. Scaliger lib. 1. de Re Poeticâ cap. 18. inquit, apud Gellium Sicinnistarum nomen legi eorum, qui ad tumulos modos facerent, quos Galenus τυμβαύλυς vocat. Sed Scaligerum decepit, quod caput 3. Gellii lib. 20. cum præcedenti, ubi de *Siticinibus* agitur, in vulgatis editionibus conjungi soleret. Not in A. Gell. lib. 20. cap. 3.

SIGILLARIA FESTA, quæ incidebant in diem 20. Decembris, cum *sigilla* arte fictili fingebantur & venalia parabantur, quæ homines pro se ac suis piaculum Diti Saturno faciebant. Hildebr.

SIGMA vid. *Accumbendi modus.*

SIGNA Romani, auctore Vegetio lib. de re milit. 2. tria habebant. *Aquilam,*

Dracones & *Vexilla*. Aquila totius legionis signum est, quam portat æqualiter. *Dracones* sunt singularium cohortium. Legio enim in decem cohortes dividitur, quos, qui ferunt, *Draconarii* dicuntur. *Cohortes* verò in centurias dividebantur, singulis centuriis suum erat vexillum, in singulis vexillis notatum erat, ex quotâ cohorte, quotâ centuriâ esset, ne qui milites à signo aberrarent, quod & Dion. lib. 41. declarat Calvin.

In re militari signorum alia erant *Vocalia*, quæ humanâ voce pronuntiabantur, sicut in vigiliis. Alia *Semivocalia*, quæ per cornua, tubam aut buccinam dabantur. *Tuba*, quæ directa est, appellatur: *Buccina*, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur. *Cornu*, quod ex uris agrestibus argento nexum, arte & spiritu temperatum, canentis flatum emittit auditum. His signis exercitus cognoscebat, an stare, progredi, regredi oporteret. Alia *Muta*, ut Aqilæ, Dracones, Vexilla, quæ quocunque ferri jubebat ductor, necesse erat signum suum comitantes milites pergerent. Marius aliis signis abolitis Aquilam propriè Legionibus Romanis

nis dicavit. Erat autem *Aquila* aûreum aquilæ ſimulacrum haſtæ præpilatæ ſuffixum, quod à milite ferebatur, qui inde *Aquilifer* dictus eſt. Hildebr. Vid. & Pier. Hierogl. lib. 3. cap. 38.

Quo verò pacto geſtarentur *Signa*, videre eſt apud Ammian. Marcellinum, ubi pompam deſcribit, quam Conſtantius Imperator urbem ingrediens duxit: *Erant enim*, ut is inquit, *Dracones haſtarum aureis gemmatisque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflabiles, & ideò veluti irâ perciti ſibilantes caudarumque volumina relinquentes in ventum.* De iis Claudianus:

Manſveſcunt varii vento ceſſante Dracones.

Pier. Hieroglyphic. lib. 15. cap. 16.

Ex Vegetio lib. 2. cap. 20. Antiquitus inſtitutum eſt, ut ex donativo, quod milites conſeqvuntur, dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, ibidemque militibus ſervaretur, ne à contubernalibus per luxum abſumi poſſet, inaniumque rerum comparationem. Nam miles, qui ſumtus ſuos ſcit apud ſigna depoſitos, de deſerendo nihil cogitat: magis diligit ſigna: pro illis in acie fortiter dimicat, more humani in-

genii; ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam substantiam.

SILENTIUM. Solebant in auspiciis apud veteres adhiberi non passim omnes, sed ii tantùm, qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos, qui quid silentium foret intelligerent. *Silentium* id in auspiciis dicebatur, quod omni vitio careret. Rogabat hunc augur, *an adhuc silentium esset?* Respondebat statim, *Silentium sibi esse videri.* Tiraq. in G. D. lib. 1. c. 29.

SILICERNIUM, Cœna, quæ infertur Diis manibus, quod eam silentes cernant, id est, umbræ possideant: vel quod qui hæc inferant, cernant tantùm, neque degustent. Nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. Aut erit *Silicernium* senex, qui jamjamque silentibus & umbris *cernendus* sit: & sic est melius, quam ut quidam Xenophonta interpretantes putant, sic nos silicernium intelligere, hoc est silicem cernentem senem, dum incurvus est, vel stratæ saxo viæ intentus, vel sacrophagi jamjam appropinquantis sibi. Donatus in Terent. Adelph. Act. 4. Scen. 2.

Teren-

Terentio dicitur *silicernium* extremæ ætatis senex, à silicernio, quod est περίδειπνον vel prandium funebre. Sic σορὸν vocant iidem Græci senem decrepitum. A silice *silicurnus*: ut à somno *somnurnus*: à mense *mensurnus*: à nocte *nocturnus*. Pro *silicurno* postea *silicernum* corrupto sermone dixere siliceum, ut *palestris*, pro *palustris*. Inde *silicernium*, prandium silicernum, quod conficiebatur circa silicem, id est, sepulchrum mortui. Hæc vera illius vocis proprietas, quam frustra veteres quæsivere Grammatici. Salmasius. Imò quid obstat, quo minus ipsi senes dicantur Silicernia, ut ministeria & servitia, pro ministris & servis, mutari numerum licentia permittit Comica. Not. Var. in Ter. Adelph. ibi. Vid. & Christian. Becmann. de Orig. L.L. pag. m. 1002.

SIMPULUM sive *Simpuvium*, vas quoddam exiguum est & minutum fundens, cyatho non dissimile, quo populus Romanus Diis immortalibus sacrificabat. Nam & M. Varro apud Non. Marcellum ait, Deos ipsos vili simpulo invitari. Unde mulieres divinis rebus deditis *simpulatrices*, ùt Festus scribit, vocantur. Inde

quoque & illud diverbium manavit: *Excitare fluctus in simpulo*, quo Cicero 3. de legib. usus est. Dicebant autem *in simpulo fieri*, quod vel clanculum, vel in re minuta atq; humili fieret, allegoria sumta à puerorum lusu, quo in simpulum per angustam fistulam inflantes, quasi fluctus quosdam excitare solent. Coras.

SIMULAMUS ea, quæ non sunt. *DISSIMULAMUS* ea, quæ sunt. Hinc versus:

Quæ non sunt, simulo, quæ sunt, ea dissimulamus.

SIROS vocabant barbari: quos ita solerter abscondunt, ut, nisi qui defoderunt, invenire non possint. In iis conditæ fruges erant. Q. Curt. lib. 7. cap. 4. §. 24.

De Siris Varro de re rust. 1. 57. *Quidam granaria habent sub terris uti speluncas, quas vocant σειρὸς, ut in Cappadocia ac Thracia.* It. Columella 1. 6.

SITICINES. Nonius Marcellus: Siticines ut liticines, à lituo, ut tibicines à tubâ, qui apud funeratos, vel vitâ functos & sepultos, h. e. jam sitos, canere soliti honoris causâ cantus lamentabiles. Vid. Not. in Gel. l. 20. c. 2.

SOC-

SOCCUS vid. *Calceus.*

SOLITAURILIA Veteres appellabant ſacra quædam ab immolatione ſuum, ovium, boum, ſic nominata: Hoc genus ſacrificii Maronem putem ſignificaſſe, cùm ſcripſit:

- Cedit quinas de more bidentes,
Totque ſues, totidem nigrantes terga juvencos.

Ut annotavit Turnebus Adverſariorum lib. 14. cap. 4.

SOLIUM vid *Balneum.*

SOLUM ſæpè ſignificat, quicquid alteri rei ſubſternitur, & veluti pro fundamento eſt. Vel dicas, *Solum* eſſe, quod Dialectici vocant ſuperficiem cujusque rei. Sic mare *ſolum* dicitur Virgilio lib. 5. Æn. verſ. 198.

- Vaſtis tremit ictibus ærea puppis,
Sûbtrahiturque ſolum.

Sic cœlum Ovidio

Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque Deorũ.

SORS. Uſitatum veteribus, ut ſortibus uterentur in omni ferè ludorum genere. In Circenſibus miſſus aurigarum fiebant ſortibus. In ludis ſcenicis citharœ-

di sorte emittebantur. In spectaculo gladiatorio. Cerd. in Æneid. 5. p. 554.

Apud gentes varias olim usitatæ fuêre sortitiones. Apud Syracusanos in electione sacerdotum. Apud Romanos olim ferè omnes dignitates per sortem sunt distributæ. Unde phrasis illa nata: *Provinciam sortiri.* Apud veteres Germanos sortibus explorabatur, utrum committendum esset prælium. Apud Græcos Alexandri M. successores sorte diviserunt regna & provincias. Justin. lib. 13.

SPECULATORES, milites à *speculis* sic dicti: quorum munus erat de rebus hostium ad suos referre, quid percepissent, sive ex *speculâ*, sive in ipsis hostium castris. Sunt tamen, qui militum quoddam genus esse volunt, qui præter gladium lanceas gestasse videntur, ex Sveton. in Claudio. Vid. Calvini Lexic. Jurid.

SPELÆUM vid. *Antrum*.

SPES. Inter *spem* & *expectationem* hoc interest: quia *Expectatio* certorum est: *Spes* verò incertorum. Et *Expectatio* destinat tempus: *Spes* non destinat. Donat. in Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 2.

SPHÆ-

SPHÆRISTERIUM est locus, ubi sphæræ h. e. pilæ vacabant Veteres; & sphæræ lusus, pro lusione pilari accipitur, pila enim sparsiva oblectatos eos fuisse, & imprimis quoque Sidonium Apollinarem ex ipsius liquet epistolis: ut proinde *Sphæristæ* sint, qui sphæra ludunt: quorum quidem pila ludentium adversa fronte constituta erant paria. Vid. Henric. Salmuth. in Panciroll. part. I. tit. 23.

SPOLIUM, quicquid hostibus detrahitur, út ait Servius. Moris olim fuit, tam apud Græcos, quam apud Romanos, atque etiam barbaros, ut *spolia* hostibus erepta templis affigerentur. Leg. Val. Max. lib. 7. c. 6. ex. 2. Lucan. lib. 6. Horat. lib. 4. Od. 15. Stat. lib. 12. Thebaid. denique præter alios Silium lib. 1. Punic.

Solebant Victores unum in locum conjungere omnem prædam, quo militibus gratum quoddam spectaculum præberetur. Livius lib. 40. & 45. De la Cerda Not. in Virg. Æn. 2. pag. 261.

Frequentissimum apud veteres votum fuit, ut decimam prædæ & spoliorum, quicquid ex hostibus captum fuisset, Jovi

& Diis devoverent, atque inde Jovem nuncupatum fuisse *Prædatorem*: quod fecisse Camillum, si Veios caperet, Livius scribit lib. 5. Cerda Not. in Æn. Virg. 3. p. 304.

Spartani hostibus erepta spolia Diis non suspendebant, quia timidis detracta. Putabant enim Diis nihil offerendum, quod cum aliqua imperfectione esset implicitum. Ac ne ea à juventute quidem aspectu dignanda æqvum censebant. Carol. Paschal. de Coronis lib. 1.

SPONDA Erat hæc reclinatorium, quo veteres sustinebant mediam partem superiorem corporis in accubitu (ex Nota Ursini) ab Spartiano *anaclinterium*, ab aliis *pulvinus*. De la Cerda Not. in Æn. 1. pag. 125.

SPONSALIA Servius Sulpitius sic exponit: Qui uxorem, inquit, ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, idem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque, dicebatur *sponsalia*. Tunc quæ promissa erat, *sponsa* appellabatur: qui spoponderat ducturum, *sponsus*. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur ex spon-

su

ſu agebat, judices cognoſcebant. Júdex quamobrem data, acceptave non eſſet uxor, quærebat. Si nihil juſtæ cauſæ videbatur, litem pecuniâ æſtimabat, quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum, qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat. Hoc jus ſponſaliorum obſervatum dicitServius ad id tempus, quo civitas univerſo Latio lege Juliâ data eſt.

Fiebant olim futurarum nuptiarum *ſponſiones*, vel inter eos ipſos, qui nuptias contracturi erant; vel inter patrem puellæ & adoleſcentem, vel inter utriusque parentes: propter ſanctitatem tamen matrimonii, *conſponſiones* parentum ſine liberorum adſtipulatione nullius momenti habebantur. Quanquam non tam eorum conſenſus requireretur, quam ne juſta de cauſa poſſent contradicere. Hotomann.

Huc quoque pertinet l. 2. & 3. D. de ſponſal. primò Virgo *ſperata* dicebatur, cum conventa erat conditio, *pacta*, ubi interpoſitæ ſtipulationes, *ſponſa*. Arnob. lib. 4. contra Gentes: *Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas.*

Sponſaliorum autem formulam Plautus profert in Pœnulo, quam videſis.

SPONSIO. Sponſionis faciendæ ratio fuit hujusmodi: Petitor eum, unde petebatur, ſi intentionem aut rationem intentionis ſuæ inficiaretur, ſponſione ſacramenti provocabat. v. g. *Quando negas, hunc ſervum meum eſſe, Sacramento te quinquagenario te provoco, ſpondesne quingentos, ſi meus ſit?* id eſt, *ſi meum eſſe probavero.* Cui reus: *Spondeo; ſi tuus ſit*: nam ſi ſponſionem recuſaſſet, litem amiſiſſet. Inde reſtipulans rogabat; *Et tu ſpondesne quingentos, ni tuus ſit*, id eſt, *ſi tuum non eſſe probavero*; Cui Petitor, *Spondeo, ni meus ſit &c.* M. Fr. Hildebr.

SPORTULA id eſt capſa, pecuniæ condendæ causâ parata, ſed conſvetudo tulit, ut pro ipsâ pecuniâ uſurpetur. Et quoniam in ſportulis obſonia & pecunia & cœnæ ferebantur, hinc factum, ut ſportulæ pro iis cibis & eâ ſtipe & pecuniâ acciperentur, quæ à magnatibus iis qvotidie dabantur, qui ipſos officii gratiâ eſſent comitati, aut domi ſalutaviſſent togati. Opponebâtur autem *rectæ cœnæ*, quæ erat, cùm clientem lautè excipiebant & paſcebant. Calvin. L. Beyerl. *Spor-*

Sportularum prima origo, ſcribente Cujacio ad tit. C. de Sport. ex prandio vel cœna eſt, quæ in panariolos vel ſportellas conjecta dabantur clientibus vice cœnæ rectæ, aliàs illis præberi ſolitæ, qui ſcilicet honoris causâ Patronos domum comitabantur. Cujus loco cum ad extremum quadrantes ſolverentur, pecuniola illa ſportulæ nomen retinuit. Inde vocabulum id latius ad ſalaria, congiaria, diaria & honoraria omnia, quæ vel ſacerdotibus dabantur, vel à Conſulibus in vulgus ſpargebantur, vel viatoribus ſeu executoribus litium exhibebantur, porrectum fuit. Et ſic tandem etiam illis ſumtibus adhæſit, quos in judiciis utraque pars facit & erogat ni apparitores, Notarios, Exceptores, Arbitros, Advocatos, Scriniarios, vel inducendarum vel exercendarum cognitionũ causâ, vel pro exceptione & editione actorum, relationis, ſententiæ, pro litis conteſtatione, pro recitatione ſententiæ, vel inſtrumentorum, pro libello, unde executoribus datur conveniendi poteſtas, pro inſinuando reſcripto vel edicto Principis, & ex multis aliis cauſis. J. Döppler, in Rationar. fidel.

SPU-

SPURIUS generale nomen eſt, quod iis omnibus convenit, qui ſine patre juſto nati ſunt: qui etiam vulgò *quæſiti* appellantur. *Spuriorum* autem quinque ſunt ſpecies: Nam alii ex concubinatu naſcuntur, alii ex ſcortatione, alii ex ſtupro, alii ex adulterio, alii ex inceſtu. Calvin. Vid. *Illegitimi.*

STABULUM generaliter accipitur pro quacunque ſtatione aut loco, ubi quis ſtare vel manere conſvevit. Propriè autem idem, quod diverſorium vel hoſpitium, in quod aliquis longo itinere feſſus ſuccedit. Unde & *proſtibula* meretrices dictæ, quòd quæſtus melioris gratiâ concurrentibus advenis ante ſtabula manerent. Uſurpat in hac ſignificatione Virgilius 7. Æneid. *Ardua tecta petit ſtabuli.*

Stabula numero plurali accipiuntur loca, in quibus armenta & greges conſiſtunt, dicta tanquam ſtationes animalium. Hinc & nomina propria accipiunt ab animalibus, quorum ſtationi ſerviunt, puta equile, ovile, hara, caprile. L. Beyerl.

STADIUM Græcis στάδιος & στάδιον, menſura erat pedum 600. paſſuum 125.

ein Lauffplatz / ein Roßlauff / Luthero ein Feldweges. Erat curriculum, ubi equites equestria exercitia frequentabant. Stephanus derivat, ab ἵστημι id est, sto, quia in stadio non solùm alii currunt, qui σταδιοδρόμοι appellantur, sed etiam alii stando expectant, donec ordo ipsos tangat. De quantitate mensurarum ejusmodi circumfertur versiculus:

Quattuor è granis digitus *componitur unus,*
Est quater in palmo *digitus, quater in* pede *palmus,*
Quinque pedes passum *faciunt, passus quoq; centum &*
Viginti quinque stadium *dant, sed* miliare
Octo facit stadia, duplicatum dat tibi leuca.

Ex his patet 125. passus conficere stadium, 8 stadia milliare Romanum sive Italicum, 16 leucam, vel milliare Gallicum, 32 Germanicum. Vid. *Palæstra.*

STATERA. Trutinarum duo sunt genera: 1. *Libra*, constans duabus lancibus, quæ pondera æquali examine pendunt. 2. *Statéra*; quæ unicam tantùm habet lancem, aut ejus loco uncum, cui res ponderanda appendi queat. Hujus accurata

curata deſcriptio extat apud Vitruv. lib.10. cap. 8. Iſidorus lib.16. cap.24.

STATIONARII ſub rubr. C. de curioſ. & ſtation. quia cum Curioſis conjunguntur (qui contra publici curſus leges commiſſa curiosè perveſtigabant) videntur fuiſſe apparitores certis locis per urbis vias diſpoſiti, vel per provincias, qui magiſtratibus, ſi quid commiſſum eſſet, renunciarent. Calvin.

SATUAS olim Veterès, cum nomen alicujus de Republ. benè meriti immortalitate apud poſteros donatum cuperent, ſolenniter decernere conſveverunt, quarum aſpectu conſtaret perpetuò rei geſtæ memoria. Quo in genere obſervationum honeſta voti ratio, haud dubiè multos ad virtutis imitationem invitans, certè non poteſt improbari. Verùm hoc ſeculo, prælucente divino verbo, palam videre licet, quanto felicius id bonis literis, quàm ulla poſſit ſtatua præſtari, ſiquidem nullum externæ rei monumentum humanâ arte ſic poteſt apparari, quod nòn invidia, vel neglectus poſteritatis, aut etiam temporum viciſſitudo facile ſubvertat; Literarum

terarum verò divinitùs inditam majestatem, nulla unquam vis, aut incuria hominum poterit. Old.

Moris olim fuit plebi Romanæ, si quid palam profiteri non auderet, voluntatis suæ significationem edere, scribendo in porticibus, parietibus, statuarum basibus, aliisque monumentis defunctorum. Vid. Sveton. Tranq. in Jul. Cæs. cap. 80. Plutarch. in Gracchis. Similia his & in Græcorum historia reperiuntur exempla.

STATERA vid. *Libra*,

STELÆ, στῆλαι, sunt propriè lapideæ pilæ surrectæ, in quibus fœdera scribi solebant, ut omnibus innotescerent, & in quibus etiam homines proscribi solebant. A *Columnis* enim, quæ Græcis κίονες dicuntur, hoc differunt, quod hæ uno scapo constent, id est, lapide oblongo perpetuo, illæ structurâ, aut lapideâ, aut cæmentitiâ, aut lateritiâ. Prat. Calvin.

STELLIONES dicti sunt, translato nomine ab animalculo ejusdem nominis ad hominem vafrũ & decipiendi peritũ. Est enim Stellio lacerta minor, ore maculoso in morem stellarũ distinctus: qui ut Ovid. canit l. 5. Metamorph. *Latèq;*

- *Latebramque petit, aptumque colori*
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.

Hinc

STELLIONATUS crimen extraordinarium, quo nomine omnis fallacia, impoſtura, diſſimulatio, & quidquid turpiter fit in fraudem alterius, quod proprii criminis nomen non habet, continetur. Incurret igitur Stellionatum, qui res alii jam obligatas alii vendiderit, aut permutarit: qui merces adulteraverit, aut ſuppoſuerit, puta pro auro orichalcum, pro gemmis veris vitreas ſubjecerit. Henr. Salmuth. in Panciroll. tit. 14. lib. 1.

STEMMATA cognationum Paulus appellat picturam & deſcriptionem graduum cognationis, in l. 9. ff. de grad. & affin. nam στέμματα proprie de imaginibus dicuntur, quæ in atrio ſervabantur. Martial.

Atria Piſonum ſtabam cum ſtemmate toto.

Et deducitur quidem vocabulum *ſtemma* à verbo στέφω, id eſt, *corono*, quia ſveverant Romani, qui ſplendorem ſanguinis oſtentabant, in atriis majorum ſuorum imagines cereas plerumque diſponere in ſpeciem coronæ, lineis quibusdam cognatio-

tionum gradus significantibus. Calv. Lexic. Becm. de O. L. L. p. m. 1041.

STIGMATISMUS. Veteres servorum facies, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, aut literis, aut aliis notis per ignominiam inurebant. Brod. libr. 4. c. 24. Locus inustionis fuit frons. Ipsum *inurere* dicebant *inscribere*. Sic *inscriptos*, *stigmaticos*.

Calumniatorum & delatorum frontes olim punctis & stigmatibus candenti ferro insigniebantur, quod Cicero disertè innuit pro Roscio Amerino. Nota illa alicujus literæ insigne habebat, in delatore fortassis D, in calumniatore C, ùt Turnebus conjicit libr. 8. c. 22. Syracusani equi signum pro argumento servitutis solebant servis inurere. Plutarch. in Nicia. Servis item hoc fiebat, qui idcirco dicebantur *litterati* : item *cælati* quandoque, & *Istriani*; quoniam Istri accolæ punctis ita inurerentur. Rhodig. lib. 7. c. 31.

Mos notandi frontes & inurendi, non Persis tantùm & barbaris usurpatus, sed Græcis etiam & Romanis usitatus. Multa de his Raderus ad Martialem.

STIPULATIO est conceptio verborum, quibus is, qui interrogatur daturum facturumve se id, quod interrogatus est, promittit. *Stipulari* nihil aliud est, quàm solenni verborum conceptione postulare sibi aliquid promitti, solenni formulà promittendi, Activè & Passivè significat, dicimus enim: Stipulor abs te, id est, rogo te & rogor à te. *Stipulator & promissor* opponuntur. Hildebr.

STOLA vestis erat ad talos demissa, matronarum insigne. Ulpian. *Stolam veteres dixerunt omne, quod corpus tegeret.* Autor Nonius. Ex Autoribus à Nonio citatis, probari potest, stolam quoque virorum fuisse, de quâ Bayf. de re vest. cap. 17. Spieg.

Matronæ Romanæ stolà utebantur, non aliter atque viri tunicâ. Hinc *mulier stolata* pro locuplete & primariâ: *togata* verò pro plebeja & minoris dignitatis fœminâ usurpatur. Apud Martialem *pudor stolatus* dicitur, qui honestiores matronas maximè decet. Hildebr.

STRAGULA, non pro lecti operimento tantùm, sed generaliter pro omni veste, quæ insternitur, accipitur, περίστρωμα Græ-

Græcis omne id eſt, quod inſternitur. Alciat. de verb. ſign. Spieg.

SIRENA munus ſignificat, quod Calendis Januariis mittebant amici amicis, patronis clientes, ſubditi Principibus, & vice versâ accipiebant clientes à patronis, ſubditi à Principibus, ita felicem anni ſucceſſum voventes, inſtituto veteri, quod Tatius Sabinus poſt factam cum Romulo pacem ſancivit. Ovid. lib. 1. Faſtor.

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas accipimusque preces?

SIRIGILIS vid. *Balneum.*

STUDIOSUS. Quem *ſtudioſum* Plin. l. 3. ep. 5. dixerit, ex ſeqq. conſtat. *Studioſi tres, in ſex volumina propter amplitudinem diviſi: quibus oratorem ab incunabulis inſtituit & perfecit. Studere* ætate illâ καὶ ἐξοχὴν dicebantur, qui eloquentiæ attendebant. Buch.

Studioſi juris olim his nominibus appellabantur: Primo anno *Dupondii*, à Dupondio numo duobus aſſibus æſtimato, quaſi nullius adhuc in civili diſciplinâ æſtimationis ſcilicet initiati tantùm ſtudiis: Sicut reſpectu Chriſtianismi infantes parvuli dicuntur.

Postea vocati sunt *Justinianei*. Secundo anno dicebantur *Edictabiles*, ab edicto, quod eis proponebatur. Tertio anno *Papinianistæ* vocabantur, ab autore Papiniano, cujus libros legebant. Quarto anno *Lytas* nuncupabant, hoc est, solutos, ut qui jam à certâ illâ & præscriptâ studiorum ratione essent liberati. Quinto anno *Prolytæ* appellabantur, qui lytas eruditione præstarent: Post quinquennium itaque consummato juris studio dicebātur *Oratores maximi, justitiæ satellites, judiciorum athletæ, gubernatores.*

STUPRUM vid. *Adulterium.*

STYLUS instrumentum ferreum, non absimile calamo, anterius acutum, retrò verò quasi plantam habens, fuit, quo olim in ceratis tabulis scribere, & alterius extremitatis obtusitate delere solebant.

SUBSECIVA vid. *Ager.*

SUBSELLIA sunt tribunorum, triumvirorum, quæstorum & hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant. Calvin.

SUCCENTURIATI dicuntur, qui, explendæ centuriæ gratiâ, subjiciunt se

ſe ad ſupplementum ordinum. Donat.

SUDATORIUM vid. *Balneum.*

SUOTAURILIA vid. *Ambarvalia.*

SUPER eſt, quod eminet.

SUPRA, quod ſubſtratum aliquid habet.

SUBTER, quod ab re aliquâ ſuperiore premitur & conculcatur.

SUBTUS, quod demiſſum altius non contingitur. Agrætius.

SUPPARA non tam vela fuiſſe videtur, quam velorum quædam ſupplementa, & ſummæ partes, quæ ſupra ipſa vela & antennam expandebantur. Lucan.

- - *Summaque pandens*
Suppara velorum perituras colligit auras.
Calvin.

SUPPLICIUM propriè dicitur, non qui quoquo modo punitur, ſed ita damnatur, ut bona ejus conſecrentur, & in publicum redigantur. Nam *ſupplicia* dicebantur *ſupplicamenta*, & *ſupplicium* dicitur, de cujus damnatione delibatur aliquid Deo: unde & *ſupplicare.* Vide *Judicium.*

SYCOPHANTA, συκοφάντης, à σῦκον, id eſt, ficus; & φαίνω pro ἐγκαλῶ, accuſo.

Lege olim apud Athenienses cautum erat, ne quis ficus Athenis exportaret. Qui deferebant adversus legem eam peccantes, ex re dicti συκοφάνται. Soletque hoc hominum genus delationibus sibi parare victum: atque adeo sæpe & ficta crimina intendebat: eâque de causâ calumniatoribus id nomen tributum fuit. Gloss. Cyr. συκοφάντης, *calumniator, sycofanta.*

Aliam etiam nominis causam adfert Festus his verbis: *Sycophantas quidam ex hoc dictos putant. Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos quorundam irrumpere, ficosque deligere, quam ob causam legem factam, qui id fecisset, capital esset ei, quam pœnam qui persequerentur, ob parvula detrimenta, sycophantas appellatos.* Vide & Aristophanis Scholiastem, ac Etymologici Magni auctorem. Voss. Etymolog.

Cum in Attica magna esset ficuum multitudo (quarum suavitate Xerxes adeò delectatus fertur, ut ob id Græciæ bellum intulerit,) ad eas asservandas, publicè custodes statuebantur, proposita pœna furibus, qui eas decerperent, & aliò deportarent. Hi primùm dicti sunt συκοφάνται, ἀπὸ τοῦ σῦκα

φαίνε-

φαίνεσθαι. At cum immerentes passim pro libidine furti deferrent, factum postea, ut id verbi calumniatoribus, & falsa crimina intendentibus tribueretur. Menen.

SYMBOLUM σύμβολον ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, conjicere, proprie est nota, sive illud, quod rei alicujus nobis indicium facit: sive ex quo de re conjectare licet. Ab hac enim notione τοῦ συμβάλλειν; *symbolon* dici, etiam Budæi judicium est. Deinde *signum* seu *tessera*, quæ datur militibus, ut hostem ab amico possint dignoscere. Hinc in Ecclesia *symbolum* dicitur illud, quod qui illud amplectuntur, differant ab Ethnicis.

Dicebatur etiam *signum* quoddam vel *tessera*, quam publicè dabant civitates quibusdam hominibus sibi amicis, ut hospitaliter & amicè acciperentur in oppidis foederatis.

Ab eâdem voce dicta est *Symbola*, nempe quod ab iis, qui comuni sumtu cœnaturi erant, pecuniæ conjectarentur, ut apposite ad ἔτυμον vocis loquitur Agellius. Hinc Curcul. Act. 4. 1. *Symbolarum collatores legimus*. Illud solū discriminis est inter *symboli* & *symbolæ* etymon, quod in illo συμβάλλειν ad animū pertinet, quomodo dicitur *feliciter con-*

jecisse, qui *rectè judicavit*: at in hoc refertur ad res corporeas, uti pecunias, quæ à variis in commune conjiciuntur & conferuntur.

Crebrò autem in *symbolæ* voce peccarunt librarii, ut cum apud Terentium in Andr. *Symbolum dedit* scribitur pro *symbolam*: quomodo in antiquis codicibus legi testantur Georgius Fabricius & Gabriel Faërnus, fuseque hanc lectionem probat H. Stephanus libello de abusu lingvæ Græcæ. Itidem à recto *symbola*, non à *symbolum* est illud in Eunuch. *In hunc diem ut de symbolis essem.* Hinc quoque *asymbolus* in Phormione dicitur, qui symbolam non dat. Plura Vossius in Etymologico.

Συμβολὴ est collatio eranistæ ad convivium: quisque enim quod ad manum erat conferebant. Eæ partes dictæ συμβολαὶ, & convivium hujusmodi ἔρανος, vel δεῖπνον ἀπὸ συμβολῶν. Mutato verò genere

Σύμβολον vocabant anulum, vel quidvis aliud arræ loco solitum dari ei sodalium, qui jubebatur cœnam parare. Terentius Eunuch. Act. 3. Scen. 5.

SYMPHONIACI servi erant hi,

hi, quibus antiqui utebantur, ut in classe classicum pugnantibus canerent, ut docuit Ascon.

SYMPOSIARCHA, qui & *Rex*, *Modimperator* & *Magister convivii* dicebatur. Vide *Magister convivii.*

SYNDICATUS. Judices olim functi officio suo tenebantur in eâdem provinciâ vel civitate, cui præfuissent, quinquaginta diebus palam commorari, ut de culpâ fraudibusque, si quas admisissent, convenirentur ac rationem redderent, id quod vulgò *subire syndicatum*, Latinè autem *causam dicere*, & *causæ faciendæ obnoxium esse*, nuncupamus. Calvin.

SYNDICUS σύνδικος, defensor, qui ab aliquo collegio, municipio, universitate, vel civitate ad causam ipsius agendam delectus est. Sic

Ἔκδικοι Græcis dicebantur, qui in Republ. agebant domi ac foris pleniore aliquando potestate, quàm Legati. Calvin.

Syndicus etiam est civium advocatus jurisque publici defensor, quasi in causam publicam communiter incumbens, seu singulorum causam dicens.

T

T. Hujus literæ uſus multiplex apud Veteres fuit, uti ex variis Scriptoribus colligitur. Et primum quidem apud Romanos nota erat ſuffragii Tribunorum, ſi quando in Senatusconſultum cum aliis Senatoribus, qui numero centum comparare debebant; conveniebant, teſtatur F. Bald. lib. 1. Inſtit. Tit. 11.

Fuit inſuper *nota vitæ* & *mortis*, unde olim veteris militiæ notarii apud Ethnicos, ùt auctor eſt Bozius lib. 2. de Cruce Triumphante, penes quos erat album, cui nomina illorum, qui militiæ nomen dederant, inſcribi ſolebant, id curæ habebant, ut vivorum ac mortuorum ſedulam inirent rationem: Utque in promtu eſſet ſcire, quot ſuperſtites eſſent, quotque in bello cecidiſſent, in margine atque in capite nominis cujusque viventis militis literam T. annotare conſveverant. Ad caput verò mortui cujusque Θ Græcum ſcribebant. Cujus figura quaſi telo per medium

um transfixa repræsentatur, nempe à signo mortis, quam Θάνατον appellant Græci. Quocirca Persius volens admonere vitium penitus in nobis extingvendum, ita dicit Sat. 4.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Ubi videre est Poëtis hanc literam nigram & infaustam fuisse, ideoque & *Mortualis* appellata. Martial. lib. 7. ad Castricum:

Nosti mortiferum quæstoris Castrice signum?
Est operæ pretium dicere Theta novum.

Plura Laurent. Beyerl. in theat. vit. human.

TABULÆ. Tabularum nomine omne genus Scripturarum appellabant, quo causam suam confirmare possent. Moris etiam fuit, unumquemque domesticam rationem totius vitæ suæ per dies singulos scribere, unde appareret, quid lucri, damnive fecissent.

Tabulæ accepti & expensi, in quas acceptam & expensam pecuniam referebant.

Romanis in genere *tabulæ* dicebantur omnes obligationis scripta & instrumenta quæcunque, unde fides haberi potest, ceu sunt tabulæ testamenti, accepti, & expensi, dotis &c.

TA-

TABELLIONES, ſcribæ, quæ dirigunt ea, quæ in judicio notantur. Dicuntur hodie *Notarii*, *Protonotarii*, *Regiſtratores*, *Secretarii:* publici ſcilicet contractuum Scriptores.

TABLINUM locus proximus atrio, à tabulis appellatus, quòd antiqui Magiſtratus in ſuo imperio tabulas rationum publicarum ibi habebant. Sext Pomp. Feſtus pag. 460.

TABULARIUM eſt locus, in quo inſtrumenta, literæ & tabulæ publicæ reconduntur. Vulgò *Archivum*. Micræl.

TACEMUS conſilia, ut: *Nec tacui demens.*

RETICEMUS dolores, ut: *Ne verere, ne retice.*

OBTICEMUS, quorum nos pudet, ut in Phorm. *Heu quidnam obtices?* Donatus in Terent. Eunuch. act. 5. ſcen. 1.

TÆNIÆ muliebres, ſunt faſciæ, quarum multiplex uſus olim in cultu præſertim muliebri. Erant enim aliæ pectorales, aliæ tibiales, aliæ peduales, aliæ aliarum partium. Has conficiebant Athenis pau-

pauperes mulieres, ut plurimum peregrinæ, qualis iſta, quam Eubulus Threſſam vocat. Qualis item illa Euxii mater, quam ut conditionis ſervilis fuiſſe probaret Eubulides, qui filium ejus numero civium exemptum cupiebat, ajebat ſediſſe in foro vendentem faſcias. Lege Demoſthenem in ἐφέσει contra Eubulidem. Caſaub. in Athen. lib. 7. cap. 22.

TALENTUM continebat 60 libras, libra valebat decem coronatos. Ergò talentum ſexcenti coronati. Erat & aliud *talentum*, quod *magnum* vocabant, id erat 80 librarum. Budæus lib. de Aſſe.

TEMPLUM juxta Donatum, apud Gentiles vocabatur locus notatus ab augure, vel in cœlo, vel in terra. Vocatur autem *templum* ab antiquo verbo *tueor*, quod idem eſt, quod *intueor*, ſive *conſpicio*, unde *templum* à *tuendo*, hoc eſt, *conſpiciendo*, quod ex omni parte, vel quod omnis pars ex eo conſpici valeat. Itaque cœlum ipſum primò *templum* dixerunt, quod ipſum primo aſpectu intuemur. In terris autem *templum* vocamus locum quemlibet religioſi cultus gratiâ inauguratum. Græcè

Græcè *ναός*, Hebraicè היכל יי *palatium Dei*. Vocarunt etiam *templum* Gentiles *Fanum*, à *fando*, quod in illo Dii eorum consulti fa-rentur, darentque responsa. Alii *templum* dictum volunt, quasi *tectum amplum*: quod nempe suâ capacitate & amplitudine plures, qui ad orandum Deum conveniunt, tegat & occupet. L. Beyerl. Vid. *Ædes*.

Templum, ut tradit Varro lib. 6. de L. L. tribus modis dicitur, ab *naturâ*, ab *auspicio*, ab *similitudine*: ab natura in cœlo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra.

Templa ergò in augurali sententia regiones sunt aut agri, certo carmine ab Augure lituo finiti & notati, unde in omnes cœli partes ad augurium captandum liber erat aspectus, in tantum, ut interdum Augures ea, quorum altitudo auspiciis obesset, demoliri juberent. Annotat. in Tit. Liv. lib. 1.

Divites olim in *templis* pecunias suas deponere soliti erant, eas quasi Diis committere ac credere se existimantes: id quod & probare & una bonis auctoribus lucem adferre instituimus. Plautus in Bacch. *Nos ibi*

ibi apud Theotimum omne aurum deposuimus, qui illic sacerdos est in Dianæ Ephesiæ. Juvenalis Satyrâ 14.

- *Et ad vigilem ponendi Castora nummi.*

Non apud mensarios, qui erant in foro, ubi erat ædes Castoris. Cæsar libro de bello civili, 3. *Præterea Ephesi à fano Dianæ depositas antiquitus pecunias Scipio tolli jubebat, &* primo, pecuniæ à municipiis exiguntur, & è fanis tolluntur. Hujus moris Cicero lib. de legib. 2. & Herodianus lib. 1. mentionem faciunt. Veteres etiam ædibus sacris publicam pecuniam commendabant, ut docet Aristophanes in Pluto. Romæ sanè in templo Saturni ærarium fuisse, neminem latet.

Apud Romanos nullo alio in loco, quàm in *templo*, licebat cum populo agere. Nam Comitium forum, Campus Martius erant templa, id est, consecrata loca. Calvin.

Ut audirent quoque in fanis Legatos, antiqua fuit consvetudo, non solùm Latinorum [Virgil. Æneid. 7.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis Urbe fuit summa)

verùm

verùm etiam Græcorum. Joh. Brodæ. part. 2. Thes. Critic. cap. 17.

Arbores olim fuêre Deorum templa. Inde religio lucorum processit, inde quæque arbos suo dicata Numini; Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Credendum ergo, inquit Plinius, in templis horum Deorum suam cuique satam arborem. De la Cerda Not. in Æn. Virgil. 3. pag. 286.

TERRITORIUM dictum est quasi *Tritorium*, tritum bobus & aratro. Condituri enim civitates taurum in dextrâ, vaccam in sinistrâ jungebant; & cincti ritu Gabino, id est, togæ parte caput velati, parte succincti tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent, & ita sulco ducto, loca designabant murorum; aratrum suspendentes circa loca portarum. Serv. ad Æneid. 5. Voss.

TESSERA symbolum est bellicum, quod in aciem prodeuntibus dabatur, ne confusione distraherentur, & ut inter se ab hostibus cognoscerentur. Vel, ùt ait Vegetius lib. 2. cap. 7. *Tessera dicitur præceptum Ducis, quo vel ad aliquod opus vel ad*

ad bellum movetur exercitus. Est & *tessera frumentaria*, signum scilicet frumentarium, quod qui exhibebat, frumentum pro portione Romæ à Principe accipiebatur, út hodie quibusdam in locis nummi plumbei, vel ærei, vel quid simile, quod pro symbolo sit. Juvenal. Sat. 7.

Summula ne pereat qua vilis tessera venit
Frumenti.

Turneb. advers. lib. 16. cap. 29. has tesseras frumentarias existimat dictas à Græco τέσσερα, & fuisse frustilla lignea quadrata, certâ insignita & notata formâ, quæ dabantur iis, quibus jus erat petendi frumenti publici, quanquam & rotunda etiam fuerint, cùm à Dione σφαῖρια dicantur, id est, globuli & pilulæ. Idem autem Turnebus scribit ex Svetonio, certum fuisse civium numerum Romæ, quibus frumentum dabatur de publico. Calvin.

Denique *tesseræ* fuerunt *hospitales*, quas hospites, eorumque liberi secum ferebant, ut inter veteres & paternos hospites agnoscerentur. Hinc Hanno Pœnus apud Plautum in Pœnulo, cùm Antidamo hospite esset usus, apud Agorastoclem Antida-

mi filium adoptivum divertere non dubitavit, nam

Deum inquit, hoſpitalem ac teſſeram mecum fero.

Et poſtea idem Pœnus ipſum Agoraſtoclem ſibi ignotum affatus:

Ego, inquit, *hic hoſpitium habeo, Antidami filium quæro &c.*

Sic is, qui jus hoſpitii violaverat, *teſſeram hoſpitalem confregiſſe* dicebatur. Plautus in Ciſtel.

Abi quærere, ubi tuo jurejurando ſatis ſit ſubſidii.

Frangere igitur *teſſeram*, id eſt, jus hoſpitii violare, & amicitiam conſvetudinemque priſtinam diſſolvere, natum ex Veterum conſvetudine, qui hoſpitibus teſſeras quasdam dabant, quibus oſtenſis eos vel eorum filios longo intervallo venientes agnoſcerent. Vide Eraſm. in Adag. Beyerl.

Fuit autem hujus *teſſeræ* uſus tam apud Græcos, quàm Romanos, ut apud quos jus & neceſſitudo hoſpitii tranſibat, ideoq; teſſeram hoſpitalem, ſymbolum nempe atque pignus amicitiæ diligenter obſervabant. De quo more Græcis quoque uſitato

to ſic ſcribit Euripidis Scholiaſtes in Hyppolyto: *Qui hoſpitio excipiebantur, teſſeram incidentes, dimidiam ejus partem relinquebant iis, à quibus erant excepti, ut ſi opus eſſet, vel ipſos, vel ipſorum poſteros, aut amicos, eodem rurſus uti hoſpitio, dimidiatâ illâ prolatâ teſſerâ, hoſpitii jus atque neceſſitudo renovaretur.* Nam quemadmodum apud Græcos mutua quædam munera ultrò citroque data & accepta, hoſpitalis fœderis cum paterni & aviti, tum recens contracti erant notæ atque pignora: Ita quoque Romani teſſeram ſolebant dare hoſpitibus dimidiatam, quam quicunque attuliſſet ad hoſpitem, continuò agnoſci poſſet, & hoſpitio recipi tanquam amicus & verus hoſpes. Beyerl

Aliàs *teſſeræ* taxilli ſunt luſorii. Prat.

TESSERÆ. In tabula luſoriâ, ut olim apud Veteres, ſic hodie apud nos, duplex præcipuè ludus ludebatur, *calculorum*, quos & *latrunculos* dicebant, & *teſſerarum*, quem & *tabulæ luſum* appellabant. Martialis:

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto.

Duodecim enim lineis ſive ſcriptulis tabula notata erat utrinque. Ex

vario tesserarum jactu varie per scripta & lineas movebantur ac disponebantur calculi. Calculum autem reducere licitum non erat, nisi adversarius concederet. Tabulæ porro usum, hoc est, τὴν πεττείαν à Palamede inventum fuisse, apud omnes constat. Quod cum dicimus, de hoc lusu debemus intelligere, qui tesseris calculisque constabat, & tabula, in quâ ludebatur, lineis multis distincta, per quas calculi movebantur ad tesserarum jactum.

Ludus autem triginta calculis constabat, quindecim nigris, & quindecim albis. Quanquam in antiquissimo Palamedis ludo uterque quinque tantum calculos haberet, & quinas lineas, in quibus statuebantur illi calculi. Inter illas alia quædam media ferebatur, quam *sacram* vocabant, ad quam qui pervenerat, *ad incitas redigebatur*. Neque tesseris, sed solis calculis hîc res agebatur, ut Hesychius testatur. Apud Romanos tamen superior modus usitatus fuit, & ab Ægyptiis originem accepisse creditur, ut Plato in Phædro scriptum reliquit. Nam πεττεία hæc cursum Solis ostendebat per duodecim Zodiaci signa, ut Eustathius monet.

TES-

TESSARARII vid. *Miles.*

TESTAMENTUM est voluntas ultima, quâ directè instituitur hæres, secluso quocunque privilegio. Beyerl.

Testamentorum apud Romanos *tria* fuerunt genera, *unum*, quod calatis Comitiis, *alterum*, quod in procinctu factum, *tertium*, quod per æs & libram appellatum est. Testamentum calatis comitiis pacis tempore fiebat bis in anno hoc modo: *Præco universam civitatem circumibat populum convocans, ac tum qui Testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo, Testamentum scribebat.*

In procinctu facta Testamenta, interprete Festo, dicebantur, quæ milites pugnaturi, vel, ut planius Plutarchus, præsentibus commilitonibus nuncupabant: in castris enim discinctus nemo sine notâ versabatur, imò grande scelus & morte piandum militaris disciplinæ severi Censores credebant, si quis militum ambulasset aut vallum subiisset discinctus.

In postremo Paterfamilias ei, quem successorem vellet relinquere, familiam suam & universum jus Patrisfamilias mancipio

vendebat, & simul hæredem nuncupabat. Ea mancipatio familiæ erat imaginaria venditio; & fiebat hoc modo: *Quinque aderant testes & Libripens, Cives Romani & puberes; his præsentibus Successor defuncti futurus patrimonium morituri emebat & imaginarii pretii nomine Domino nummum æneum dabat ære percutiens libram, quam Libripens in Mancipationibus tenebat.* M. Hildeb.

TESTES propriè dicuntur, qui de rebus & negotiis hominum fidem faciunt, cum dubitatur, & veritati patrocinantur. Calvin.

Testes fuerunt liberi homines, qui testimonium extra tormenta dixerunt. Multa autem in teste considerabantur: Si enim suspicione careret testimonium, vel propter personam, quòd honesta, vel propter causam, quòd neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ causâ esset, testis admittebatur. Formula interrogandi testis fuit: *Quæro de te, arbitrerisne?* Ipse verò testis juratus respondebat: *Arbitror.* *Jurati testes* produci solent non solùm, ne falsa dicant, verum etiam, ne, quæ vera sint, taceant.

Testes

Testes alligati appellabantur, quos quisquis ante judicium sibi alligaverat, ne postea esset liberum dissimulare aut se subtrahere. Hildebr.

Testes classici dicebantur ii, qui signandis testamentis olim adhiberentur. Solebant autem locupletissimi quique adhiberi testes, quòd ii majoris esse fidei censerentur, nec propter egestatem in ipsa testamenta falsi quicquam commissuri. Ideò apud Latinos *testes classici*, *locupletes* & *assidui* dicuntur, qui sunt integræ opinionis & fidei. Nam qui erant primarum classium, ditissimi erant omnium. Connan. lib. 9. comm. cap. 3. n. 1.

Testes omni exceptione majores, qui nullâ penitus exceptione submoveri possunt. l. opinionem. C. de contrah. & committ. stipul. sub fin.

THENSA fuit, inquit Servius, currus, quo Deorum simulacra portabantur, ἀπὸ τοῦ θεῖυ.

TESTUDO, militaris machina, quâ se milites operiebant crate perpetuâ clypeorum adversus sagittas, & missilia omnia super se cadentia. Cerd. in Æn. 2.

Testudinum plura genera & formæ, sed præcipua tria, quæ propriè *Testudines* dicuntur. *Prima* Vitruvio *ad congestionem fossarum* quadrata fuit, habens quoquoversus latera singula pedum xxv. *Altera* Vitruvio ad *fodiendum comparata*, fossoria, rostrata: nam frontem habet, sicut anguli trigonorum; ut, à muro tela cum in eam mittuntur, non planis frontibus excipiat plagas, sed ab lateribus labentes, sineque periculo que fodientes, qui intus sunt, tueatur. *Tertia* denique *Arietaria*, in qua aries suspenditur. Lipsius. Vid. *Machina.*

TETRADISTÆ juvenes, qui in Alexidis versu nominantur, inde nomen invenerunt, quod quarta cujusque mensis convenirent, & convivia agitarent: alii, quod die vicesima idem facerent, *icadistæ* dicti: at qui die tricesima solebant unà esse, τριάκαςοι nuncupati: unde ἀτριάκαςοι, ad quos sodalitas illa nihil attinebat. Casaubon. in Athen. l. 7. c. 9.

THEATRUM vid. *Amphitheatrũ.*

THERMÆ, quæ primùm Imperatoribus servierunt, pòst etiam vulgo, magnifica erant palatia in provinciarum

modum

modum extructa, ut ait Ammianus. Thermæ cumprimis Antonianæ & Diocletianæ, illæ in usum lavantium 1600 sellas è marmore factas habebant, hæ 3200. Eò spectant *cellæ* loca, in quibus lavabantur. *Piscinæ*, in quibus piscium more natabant, adjunctæ erant *porticus* & *xysti* loca tecta, umbræ & deambulationis gratiâ ædificata, nemora item & sphæristeria. *Sphæristerium* erat locus balnei specie rotunda omnibus exercitationum generibus, & cumprimis pilæ ludo destinatus. Campanæ sonitu in thermis populus statis horis advocari & dimitti solitus est. Hildebr.

THESAURUS, Θησαυρὸς Athenis erat domus quædam, in quâ repositæ pecuniæ sacræ & Deorum simulachra, ut est apud Hesychium, & apud Harpocratem.

Apud Messenios carcer *thesaurus* nomine, locus sub terrâ quadrato saxo, in quo Philopœmenes necatus fertur, tam immanis fuit & sævus, ut neque ventum neque auram acciperet. Alex. ab Alex. l. 3. c. 3.

Solebant Reges thesauros suos ponere non tantum in auro, in argento & in gemmis, sed & in preciosis vestimentis. Ideò

Chriſtus Matth. 6. loquitur de *theſauris*, *ubi tinea nihil corrumpit*, quod intelligendum eſt non de auro, gemmis &c. tantùm, ſed & veſtibus, quæ à *tineis* corrumpi poſſunt. Braun. de Veſt. Hebr. lib. 2. c. 24.

THESSÆ vel *Thettæ*. Apud Athenienſes ſi quæ virgines egenæ eſſent neque propter dotis defectum maritos invenire poſſent, θῆσσαι vel θῆτται dicebantur, easque quicunque genere proximus elocare, ac dotem dare lege præſcriptâ tenebatur. Quod ſi quis recuſaret, ipſe ducere cogebatur. Atq; ita capiendus Terent. Hecyr.

Lex eſt, ut orbæ qui ſint genere proximi
Eis nubant: & illos ducere eadẽ hæc lex jubet.

Dos autem definiebatur quinque minis, i. e. quingentis denariis: Mina quippe centum denarios continet, denarius autem obolos ſex. Terent. Phorm.

Etſi mihi facta injuria eſt, veruntamen
Potius quàm lites ſecter, aut te audiam.
Itidem ut cognata ſi ſit, id quod lex jubet,
Dotem dabo, abduce hanc, minas quinque accipe.

Quod ſi plures eodem gradu cognatum contingerent, pro rata quisque contribuebant.

ebant. Si plures autem cognatæ, is, qui proximus, unam tantùm elocare tenebatur: & si quispiam recusaret, eum cuilibet deferre licebat ad Archontem, qui legi satisfacere cogeret. Ille verò si muneri deesset, drachmis mille, i. e. minis decem Junoni sacris mulctabatur. Meurs. lib. 5. c. 1.

THYRSUS hasta aculeata hederis involuta. Eâ usus est Bacchus cum insanis suis sacerdotibus, ob id *Thyrsiger* dictus. Hinc proverbium natum: *Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi.* Quo significatum est, compluribus mortalium adesse virtutis insignia, aut etiam famam, qui tamen verâ virtute vacent. Non omnes Theologi veri qui pileum theologicum gerunt. Non omnes Monachi, qui cucullo onerantur. Vid. Adag. Erasm.

TIBIA. Tibiæ in ludis adhibitæ ita dictæ sunt, quòd antiquitus ex tibiis gruum fierent. *Tibiarum* variæ fuêre differentiæ, quæ à doctis variè exponuntur. *Pares* & *Impares* dicuntur juxta nonnullos ab æquidistantibus aut inæqualibus foraminibus vel intervallis. Juxta alios *pares tibiæ* dictæ sunt, cùm duæ ejusdem magnitudi-

nis

nis & toni modularentur, cumque cantum *Synodium* appellabant: *Impares*, cùm unica tantùm caneret, & cantus *Monodium* dicebatur. *Dextræ* edebant ſonum gravem & gravibus rebus erant aptæ. *Siniſtræ* acutiorem, ac proinde rebus ludicris conveniebant. *Sarranæ* eædem ſunt, quæ ſiniſtræ. Contra alii dicunt, ſiniſtras ſonum gravem edidiſſe, dextras acutum. M. Fr. Hildebr. Vid. *Modi Comœdiarum*.

TIBICEN. Tibicines canentes tibiis, ſacris populi Romani intererant. Aliàs *tibicines* dicuntur pilæ, quibus ædificia alioqui ruitura ſuſtinentur, quomodo & particulæ, quibus verſuum hiatus replentur, à Grammaticis appellantur.

TIMOR & *Metus* ab auctoribus ſæpè confunduntur, tamen ſæpè ita diſcriminantur, ut *timor* teſte Tullio 4. Tuſc. ſit de malo jam appropinquante: ſed *metus* de periculo remotiore. Cerda in Æn. *1.*

TINTINABULUM, nomen fictum à ſono, quem edit vas æneum, nos *campanam* ſeu *nolam* dicimus à Campaniâ, ejuſque urbe quâdam Nolâ.

Uſus varius *tintinabuli*, præcipuè in fu-

nere

nere, in tumultu, tonante cœlo, in thermis, ut in thermas ſtatis horis advocarentur, dimitterentur, lavaturi, loti; in damnatorum ſuppliciis, ne ſcilicet incauti occurrerent & funeſtarentur vel polluerentur contactu ſeu occurſu, hinc & carnifices dicti *tintinnaculi viri*, etiam in foribus ædium, ubi in ejus locum ſucceſſit marculus æneus foribus pulſandis idoneus. Joſ. Laur. l. 1. Polymach. Diſſ. 25.

Apud Græcos moris erat, nolâ vel tintinnabulo ὀψοφάγοις in forum convocare, ad piſcium emtionem, ut quàm recentes venire poſſent. Plutarch. lib. 4. Sympoſ. quæſt. 4. Strab. lib. 14.

TITULUS 1. eſt inſcriptio rei, ut libri, crucis. 2. eſt columna aut pyramis in trophæum victoriæ aut inſignis facinoris erecta. 3. eſt ſtatua, imago vel idolum erectum ad cultum & adorationem, qualis titulus prohibetur Levit. 26. 1. 4. eſt lignum, lapis vel res alia, poſita vel erecta in memoriam & judicium rei alicujus, v.g. viſionis Angelicæ Jacobo factæ. Cornel. à lap. Comment. in Gen. cap. 28. v. 18.

Titulus eſt inſcriptio, olim facta rubro: ſicut

ſicuti textus nigro. Hinc dicitur etiam *rubrica* apud JCtos, ſicuti *nigrum* apud illos eſt textus. Micræl.

Vetuſtis temporibus mos erat ſingulis domibus proprium titulum affigere, qui veri & legitimi poſſeſſoris nomen indicaret.

Titulus, in quo virtutes & vitia ſervorum ſcribebantur, ipſorum collo appendebatur. Propertius lib. 4.

At quorũ titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cùm ſaliere foro.

Seneca de ſervis loquens, *cui dominus titulum impegit.* Quin etiam mancipia cretâ vel ſigno notabantur, atque ita Scaliger hunc verſum interpretatur,

Cælati medio cum ſaliere foro.

Cælati, id eſt ſignati, niſi *creati* legendum ſit. Atque ex eodem verſu liquet, currere vel ſaltare circum adſtantem coronam ſolitos fuiſſe, ut ſanitate ac celeritate corporis valetudinem ſignificarent, atque ita lectores allicerent. Vide Scaligerum in l. 4. Propertii, pag. 268. & ſeq. & Durantium lib. 1. Var. c. 10. & Pignorium de Servis.

TOGA à *tegendo* dicta eſt, ut vult Pomp:

Pomp. in l. 180. de verb. ſign. Pueri cùm perveniſſent ad annum decimum quintum, prætextâ depoſitâ virilem ſumebant Togam, cum pompâ magnâ deducti in forum, invitatis ad actum illum amicis & cognatis. Recitabatur oratio inauguralis, & dies ille *Tyrocinium* vocabatur, Plinius l. 8. cap. 48. Lares mutatæ veſtis dabantur teſtes. Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Mox ubi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante Deos libera ſumta toga.

Et pro felici incremento ſolvebatur nummus argenteus Divæ Juventæ in æde ejus, Dion. Halicarnaſſ. lib. 4. *Togam puram* & *Togam liberam* appellant Cicero lib. 9. ad Atticum Ep. 4. 20. 22. Et Catull9 Epigr. 69.

Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum cum ætas florida ver ageret.

Toga pura dicta eſt, quia nihil purpuræ attextum haberet. Attamen illi, qui Magiſtratum gerebant, quique Sacerdotes erant, prætexebant purpurâ viriles togas ſuas. Vid. Kipping. Antiq. Rom. lib. 4. cap. 5. pag. 621.

Romanæ togæ color albus. Hic ut recens

cens & nitidus esset, lautiores honestiores que studebant: plebs negligebat, & vel plane pullas sive nigras vestes assumebat: ut parceret sumtui, & nititandi cura vacare posset. Hinc *pullati* apud Svetonium, & *pullata turba* apud Quinctilianum ὁ χυδαῖος ὄχλος, plebecula vilis: nec aliter *pullati* & *sordidi* accipiendi apud Plinium epist. 17. l. 7.

TOLLO, propriè ad ferendum elevo. Prius *tolo*, unde *tolero*: ut à geno genero. Post geminatum est more veterum: *tolo, tollo*: geno gigno: tago, tango. Vid. Becman. de Orig. L. L.

Parentes, quos sibi primum natos volebant alere, non abdicare aut exponere, jacentes è terra tollebant, humi enim nati deponebantur. Turneb. lib. 22. cap. 11. & Rhodigin. lib. 30. cap. 14. Inde modus loquendi. Plaut. Amphit. *Verùm quod erit natum, tollito.* Terent. Andr. *Quidquid peperisset, decreverunt tollere.* Huc alluditur, cum dicimus, *quempiam ex uxore sua sustulisse, suscepisse filios*, quamvis nos morem hunc superstitiosum, ac gentilem minimè habeamus, ut nec Hebræi habuerunt. Veruntamen, ut in aliis præterea multis, inde natum

natum loquendi genus, latinè loquentes nos quoque uſurpamus. J. Pontan. in Not. lib. 1. Colloq. Sacr. VII.

TRAGOEDIA. Initium *Tragœdiæ* & *Comœdiæ* à rebus divinis eſt inchoatum: quibus pro fructibus vota ſolventes operabantur antiqui. Nam incenſis jam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod ſacer chorus reddebat Libero patri, *Tragœdia* dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς, hoc eſt, ab *hirco*, hoc eſt vinearum, & à *cantilenâ*. Ejus ipſius rei apud Virgilium plena fit mentio: vel quòd hirco donabatur ejus carminis Poëta: vel quòd uter ejus muſti plenus ſolemne præmium cantoribus fuerat; vel quòd ora ſua fecibus perlinebant ſcenici ante uſum perſonarum ab Æſchylo repertum. Feces enim dicuntur Græcè τρύγες. Et his quidem cauſis *Tragœdiæ* nomen eſt inventum. Euanthius Comment. in Terent.

Tragœdia, Tragœdus; τραγῳδός ad verbum ſonat *hirticen*. Horat. in art.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircū.

Tragœdia nomen traxit ab *hirco*, nullam aliam ob cauſam, niſi quia in ejus numinis ho-

 norem

norem ageretur ejusmodi fabula, cujus victima esset hircus. Eo igitur victores donati rem illi divinam fecere. Primum sane agi cœptam vindemiarum tempore scriptum est. Unde occasio data Grammaticis, uti παρὰ τὸ τρύγημα nomen ducerent, quasi τρυγῳδίαν, quam vocem integram etiam apud Aristoph. habes, ἀχαρνεῦσι. Qui eam primus dederit, haut ita pro comperto habetur. Satis constat illud, à Thespide poëta factam nitidiorem, qui primus pensiles scenas in plaustris circumegit, addiditque nudis oribus fecem pro persona. A quibus fecibus vinaceis alii Tragœdiæ nomen deductum maluere. Id enim significat τρύξ: quemadmodum τρύγημα vindemiam. Τράγος autem est caper. Scalig. l. 1. poet. c. 6.

In *Tragœdiis* non concedebatur introducere ea, quæ non fas erat intueri, quæque terrebant ab aspectu: sed per nuntios, si quid tale erat, exhibebatur & nunciabatur. Ut in Phœnissis, in Medeâ, Hippolyto, Iphigeniâ, aliisque apud Euripidem & Sophoclem videre est, factum. In Ajace tamen diversum accidit, ubi Ajax suam ipsius calamitatem exponit. Interp. Sophocl.

TRANS.

TRANSFUGA non is ſolùm accipiendus eſt, qui aut ad hoſtes, aut in bello transfugit, ſed & qui per induciarum tempus aut ad eos, quibuscum nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta transfugit, maloque conſilio & proditoris animo patriam relinquit. Calvin.

TRIBULIS ſignificat ex eâdem tribu, h. e. ex eâdem curiâ. Eugraph. ὁμόφυλος. Populus Athenienſis diſtributus erat in tribus duodecim ad menſium numerum. Rurſum unaquæque tribus in triginta genera, quemadmodum vocant, ad dierum numerum. Unde *Gennitæ* vocabantur, non conjuncti ſanguinis propinquitate, ſed in eandem tribus partem adſciti. Barland.

TRIBUNAL, quod Græci βῆμα vocant & δικαστήριον, locus eſt excelſus, in quo reſidebat, qui jus tribubus reddebat. Iſidorus dicit fuiſſe locum editum, ad quẽ per gradus aſcendebatur, ubi in ſublimi ſedens Magiſtratus jus dicebat.

In exercitu autem & caſtris erat tribunal *ceſpititium*, ex quo Imperator milites alloquebatur. Unde Prudentius:

Extruitur mediâ castrorum parte tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam.

Cespitum autem Lucanus meminit lib. 5.

- - - *stetit aggere fulti*
Cespitis intrepidus.

Et Statius lib. 5. Sylvar.

Hic suetus dare jura pater, hoc cespite turmas
Affari.

Imponebatur autem isti tumulo cespititio sella regalis, ùt testis est Xiphilin. in Neron.

Cæterum apud Rom. *tribunal* erat in domus interiore atrio, unde & Prætorii nomen apud Latinos habuit, ùt δικαστήριον apud Græcos. Beyerl.

TRIBUNUS ita dictus, quòd plebi vel militibus jus tribuat. Isidor. libr. 9. Melius Varro, Tribunis à Tribubus nomen datum censet. Itaque olim summus erat Tribunorum Magistratus, tam in plebe Romanâ, quàm in exercitu. Erant enim pares Consulibus, & velut Consules plebis.

Tribuni ærarii dicebantur, inquit Varro l. 4. L. L. quibus attributa erat pecunia, ut militi redderent.

Tribunus Celerum à Romulo primùm cre-

atus

atus est, ùt Livius lib. 1. testatur, ut scribit, illum trecentos armatos ad custodiam corporis, quos *Celeres* appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuisse. Festus libr. 3. *Celeres*, inquit, *antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initiò à Romulo iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis decuriis deni, ideoque omninò trecenti fuere.* Calvin.

Tribuni militum, qui unius cohortis peditibus præerant. Duplices erant *Rufuli*, à quodam Rutilio Rufo sic dicti, ab Imperatore in exercitu lecti, & *Comitiati* à populo in Comitiis creati. His respondebant in equestri exercitu *Præfecti equitum*.

Tribuni militum erant vel *Juniores* vel *Seniores*. *Juniores* sunt equites, quibus hoc datum, ut citius prius que Tribuni fierent, quàm plebeji, post quina scilicet stipendia. Seniores, plebeji, qui post dena stipendia Tribuni facti. Oportebat enim Equitem dena stipendia implere, peditem vicena. Vicesimo militiæ anno dimissi *Veterani* dicebantur. Nam post vicena stipendia, honestam vel causariam missionem consecuti ita vocabantur. Lips.

Tribuni plebis creati sunt postquam Consules & Senatores annis sedecim ab ejectis Regibus Urbi præfuerant, non sine plebis damno, (uti quidem Plebeii credebant) quum censibus describendis pro usu expeditionum adversus hostes vexarent. Proinde factâ secessione in montem sacrum, ut concordia reduceretur, postulatis annuit Senatus & concessit *Tribunos plebis*, custodes illos, defensoresque juris ac libertatis, ut plebis commoda adversus Patritios & Optimates tuerentur; Senatusque decreta vel approbarent suffragio, vel intercederent. Livius lib. 2. Kipping. A. R. l. 2. c. 3.

Quando Senatusconsultum *Tribuno plebis* non placebat, irritum id reddebat intercedendo, quæ intercessio fiebat uno & solenni verbo VETO.

TRIBUTUM, ut M. Varro de L. L. ostendit, dictum est à *tribubus*, quòd ea pecunia, quæ populo imperata erat, *tributim* à singulis exigebatur, per quam occasionem tribuni quoque, quod tributum exigerent, dicti sunt. Annot. in Liv. lib. 2.

TRICLINIUM est cœnaculum sive cœnatio, à stratis tribus lectulis discum-

benti-

bentium sic dictum: nam κλίνη *lectus*. Apud Suetonium invenies alicubi pro mensis ipsis usurpatum; ut cum millibus tricliniorum cœnatum ait. Et in Julio c. 48. *Cæsarem duobus tricliniis assiduo per provinciam epulatum.* Jacob. Pont. in Not. libr. 4. Colloq. Sacr. Vid. & *Accumbendi modus.*

TRIETERICA festa sunt Bacchi triennio quoque celebrari solita. Alii vocant *triennalia.* Ovid. 9. Met. vocavit *triennia.* Sunt hæc instituta in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus suscepit. Cerda in Æneid. 4.

TRIPUDIUM vid. *Auspicium.*

TRIUMPHUS vox est Græca juxta quosdam: & significat omnium honorum, qui à populo Romano dari poterant, maximum; utpote qui redeuntibus in urbem cum victoriâ, aut patrato insigni ac memorabili facinore decernebatur.

Triumphantes à Magistratu excipiebantur in aliqua porticu vel alio quo loco, ubi positis subselliis eos expectabant. Vid. Joseph. lib. 7. Excidii cap. 16.

Triumphandi modus talis erat: Victores coronâ primum laureâ, deinde aureâ re-

dimiti, curru inaurato, quem quatuor equi albi trahebant, Romam invehebantur. Præcedebat Senatus: sequebatur populus: post hunc ordo militaris. Ante currum victoris ibant Duces victi, catenam ferream collo gestantes. Et primum omnium ad templum Jovis Capitolini, deinde per urbem atque domum reducebantur. Vid. Cic. in Pisonem.

Quia verò plures turpissimum rebus à se præclarè gestis colophonem imponunt, cum Tantalo illo apud Lyricum: *Victoria & rerum successus impotentes facit.* Rarum enim decus, quod Priscillæ tribuit Statius:

Tener idem animo, moresque modesti
Fortunâ crescente manent.

Moniti propterea hoc genus exemplis Romani, pulcherrimo ritu victoribus aures vellicarunt: Nam *triumphantibus* à tergo adstabat in eodem curru servus publicus, qui coronam auream immensi ponderis & amplitudinis sustinebat; & simul attendere triumphantem ad ultimi supplicii instrumenta jussit appensa currui. Illa erant *tintinnabulum* & *flagellum*; indicantia, eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut fla-

gris

gris cædatur, aut capitis damnetur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, *notas gestare* solebant; ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret; sicut scribit Zonaras tom. 2. Annal. p. 32.

Iis autem, qui triumphassent, statuæ in curribus ponebantur, quæ ob id triumphales appellatæ sunt. Earum verò statuarum ornamenta erant, quæ Livius enumerat, Corona aurea, sella Curulis eburnea, eburneus scipio, rota picta, & palmata tunica. Pier. Hierogl. lib. 43. cap. 15.

Triumphalis autem effigies Romæ iis omnibus decreta est, qui fines Imperii ampliassent. loc. cit. Vid. Cerda in Virg. Æn. 8.

TRIUMVIR, nomen erat Magistratus, quem tres administrabant, quomodo & *Duumvir* is erat, quem duo. Unde apud Livium lib. 40. legimus Duumviros navales classi ornandæ reficiendæque creatos, anno ab U. C. 442.

Triplices fuêre *Triumviri*: *Capitales, Nocturni, Mensarii. Triumviri Capitales* teste Pomponio de orig. Juris l. necessarium, erant, qui carceris custodiæ præessent,

 quem-

quemadmodum Athenis *Undecimviri*, & cùm animadverti debebat in incarceratos, eorum fiebat interventu.

Mensarii ob argenti penuriam facti viri consulares apud Livium libr. 23. præerant hi monetæ & rei nummariæ. Imò idem Livius scribit, *anno ab U. C. 401. quinque viros mensarios creatos, ut fœneratorum improbitati succurreretur, ærisque alieni plebis Rom. magnitudini succurreretur.* Dicebantur etiam hi *Triumviri Monetales.*

Nocturni erant, qui nocturnis excubiis & infortuniis invigilabant.

Præter hos alii *Triumviri* fuerunt, quos ad *Delectum* vocabant. Eorum munus erat conquirere juvenes ad ferenda arma; & in numerum militum cooptandos, meminit horum Livius lib. 25.

Erant quoque *Triumviri*, quos Augustus creando Senatui, eique legendo instituit: postquam is primùm à Regibus, mox à Consulibus, deinde à Censoribus, tandem ab Imperatoribus, eligi consuevisset. Iidem etiam equitibus recognoscendis præerant.

Denique successu temporis in populo

Romano creati fuerunt *Triumviri* sacris conquirendis, & donis prosignandis: *Triumviri* ædibus reficiendis: agris dividendis: coloniis deducendis: Item epulares, qui & Triumviri epulorum. De quibus Cicero lib. 3. de Orator. ita scribit: *Sed ut Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cùm essent ipsi à Numa, ut etiam illud ludorum exulare sacrificium facerent instituti.* Ac posterioribus temporibus Septemviros epulones fuisse, intelligi potest ex Gellii lib. 1. cap. 12. Meminit etiam Septemvirorum epulonum Plinius lib. 2. Epist. ad Arrian. Beyerl. Calvin.

TROCHUS, Græcis ῥόμβος, erat circulus æneus, grandis, per quem involuti ferebantur annuli ænei multi & hujusmodi trochos pueri certatim per vicos in longum agitabant, donec motus per se quiesceret, vel ad lapidem & obicem offensus inflecteretur ac caderet. Martial. lib. 11. Epigram. 22. Vid. M. Kipping. A. R. cap. 4. lib. 4.

TROJANI Ludi, sive *Trojæ ludus*, ludicrumque [omnibus enim his nominibus

bus appellabatur] ab Aſcanio Æneæ filio primùm omnium in Italiam venerunt, celebrabanturque in Circo à pueris majoribus & minoribus turmatim congredientibus: quibus qui præſidebat, Princeps juventutis vocabatur, atque ex numero filiorum primi nominis Senatorum, Auguſtorumve eligebatur. De horum ludorum origine & ceremoniis Virgil. lib. 5. Æneid. Vid. Roſin. A. R. lib. 5. cap. 25.

TROPHÆUM, monumentum dixêre, nunc marmoreum, modò æneum, cum inſcriptione & titulis ævo perpetuo duraturis. Interdum ſi materia non ſuppetebat, lapides in ingentem cumulum adgerendo, vel inſignem arborem exciſis ramis, ibique hoſtium ſpolia ſtatuendo, in memoriam poſteritatis, bonis & fortibus viris pro trophæis erigebant. Alex. ab Alexandr. G. D. lib. 1. cap. 21.

Tropæa deſcripſit Bulenger. libr. de ſpoliis bellicis cap. 3. Erant domi foriſq; corpora trunca, marmorea vel lignea cum ſpoliis appenſis de hoſtium exuviis, ut erant gladii, loricæ, galeæ, clypei, uti oſtendunt marmora, & præterea nummi apud Gorlæum

læum in Thesauro numismatum Tab. 38. n. 6. &c. Virg. lib. 11. Æneid.

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma.

Et paulò post:

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Itaque *armorum congeriem* vocat Tacitus lib. 2. Annal. & Inscriptiones rerum feliciter gestarum additas esse prodit. Utque eo magis conspicua forent, locis altis figebantur, teste Servio ad lib. 11. Æn. Plura Kipping. Dissertat. 2. de victoriâ & solennib. ejus.

TRUTINA vid. *Libra.*

TUBULUS vid. *Zeta.*

TUMULUS honorarius, Græcis κενοτάφιον dicitur, id est, inane sepulchrum, ùt notat Budæus ex Sveton. in Claudio: *Exercitus honorarium Druso tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die miles decurreret, Galliarumque civitates supplicarent.*

TUNICA, Græcis χιτὼν dicta, vestimentum erat interius, cui toga aut pallium aut alia superior vestis induceretur. Quamvis verò hoc nomine commune olim fuerit tam fœminis, quàm viris vestimentum, pro-

propriè tamen *tunica* virorum fuit, stola verò fœminarum. Romanorum antiquissimi, ut Gell. lib. 7. cap. 12. testatur, sine tunicis, solâ togâ amicti fuerunt. Statim tamen post Romuli ætatem tunicarum usum Romanis notum fuisse vult Ferrarius de Re Vestiariâ lib. 13. cap. 21.

TUTULUS, ut Fulgentius auctor est, erat pallium, quo sacerdotes accessuri ad sacra, caput tegebant, tutabanturque, unde & vocabulum. Cerd. in Æn. 3.

TYRONES id est, *novitii*, opponuntur *veteranis militibus*: hi erant juniores, qui publicis stipendiis in militari disciplinâ instituebantur, & militiæ designati, ad pugnam exercebantur, qui deinde ubi satis videbantur instructi, in numeros referebantur, nec antea privilegia militiæ habebant. Cæterum ut tyro ad omnem artem refertur, ita *tyrocinium facere*, & *ponere rudimentum* dicitur. Siquidem *tyro* extra militiam, rudem & inexercitum significat. Calvin.

TYROCINIUM vid. *Toga.*

V

VADES propriè dicebantur, ut Ascon. in Monosyllab. & Festus lib. ultim. ostendunt, qui reum capitis sistendum spondebant, qualis fuit ille Damon, de quo Cicero lib. 3. offic. meminit. Sed tamen quicunque pro altero vadimonium etiam in civili causâ promittebat, *Vas* appellabatur. Calvin.

Vades & *Prædes* ita distinguit Ausonius, ut illi in re capitali, hi in causa civili concederentur. Ita inquit:

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria? quis dabitur?
Præs.

Not. in A. Gell. lib. 2. cap. 14.

VADIMONIUM est sponsio standi in judicio. Inde

VADARI verbum, pro vadimonio obstringere. Sunt autem *vadimonio obstricti*, qui ob crimina in judicium vocati ab judicibus impetraverunt, ut aut suâ aut sponsorum fide dimittantur, eâ lege, ut in certum diem ad judicium sistant. Calv.

VA-

VADUM est locus minus profundus in flumine, per quem pedibus vadere licet.

VALEDICTIO est benevola incolumitatis apprecatio, verbo vel scripto facta etiam ad absentes à valetudine, quam amico vovemus, nomen habens. Etiam ad mortuos usurpatur, quomodo Virgilius lib. 1. Æneid. dicit:

- *Salve æternum mihi maxime Pallas,*
Æternumque vale.

Sed tunc eos *valere* aut incolumes esse non desideramus, sed benè esse simpliciter: nosque ab eis velut æternùm divisos, ut à quibus illi recesserint ultra non videndi, significamus. Beyerlinck.

VALLUM vid. *Castrametatio.*

VASALLUM vel *Fidelem*, ùt nunc vocamus, olim clientem dicebant, quasi *colentem Dominum*, ut ab eo defenderetur, & qui vicissim dignitatem Domini tutaretur propter beneficium. Ex Old. qui & monuit, *Clientelam* esse obsequium ipsum, quod *homagium* vocant, & *servitium pro beneficio præstandum.* Ibid.

VECTES vid. *Machina.*

VECTIGAL Græcè τέλος, aliquando accipitur generatim, ut sub se tributum, & quamvis exactionem complectatur: & sic agri dicuntur vectigales, è quibus penditur tributum, ait Couarruvias. Strictius tamen accipitur & propriè, ut distingvitur contra tributum pro pensione, quæ solvitur pro rebus, quæ importantur vel exportantur in civitatem vel Provinciam: unde & nomen accepit à *vehendo* vel *invehendo*, ut notat Isidorus. Hæc autem pensio olim octava pars fuit rerum, quæ invehebantur, ut scribit Couarruv. ad reg. Peccatum.p.2.§.5.n.1. Verùm nunc varium est pro diversitate locorum.

Secundò *vectigalis* nomine etiam censetur *portorium*, quod solvitur pro transvectione mercium per pontes vel flumina, & *portorium* dicitur, quamvis pro omni vectigali hoc nomen usurpetur.

Tertiò quod à transeuntibus datur pro viarum custodia vel reparatione, quod *Pedagium* vel *Quidagium* appellatur.

Denique quod solvitur ex rebus venditis seu permutatis.

Præter hæc sunt quædam onera subdi-

torum, quæ *munera* appellantur à Jurisperitis, suntque triplicia, *Realia*, *Personalia*, *Mixta*. *Realia* sunt, quæ præstantur Principi è rebus subditorum, utpote à jumentis, curribus &c. *Personalia*, quæ à personis exhibentur: ut cùm certis temporibus aut locis eum comitantur ex obligatione aliquâ. *Mixta* sunt, quæ ex utroq; præstantur, ut cum quis suis impensis, equis, armis, eum ad bellum comitari tenetur.

Vectigaliũ originem videsis apud L. Beyerl.

VELORUM usus varius. *Velum* obtendebatur foribus cubiculi imperatorii, ut oculos arceret. Lamprid. de Heliogab. *Qui subitò militum strepitu exterritus, in angulum se condit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* Videntur autem in palatio frequentia fuisse vela: tum quia Svetonius scribit, prætensa fuisse foribus etiam solarii vela; tum quia velariorum præsidatum & præfecturam in domo Augustana fuisse liquidum est. Barbari quoque Principes conclavium fores *velis* obtexerunt. Et causa quidem fuit, *ut velum visum arceret*; sed alia pro-

propior, & penè sola, ratio venerationis, quæ & in privatorum ædibus pro suo modo fuit. Deorum sanè simulachra antiquitus objecto velo abdebantur. Hoc autem à Diabolo fuit, qui velum tabernaculi & velum templi ridiculè voluit æmulari. A simulachris velamentorum objectus transivit ad consistoria Judicum. Ab his ad limina Grammaticorum. In summa, quidquid abdendum fuit, *velo condebatur*. Lege Laurent. Pignorium de servis.

VENA vid. *Arteria*.

VENEFICIUM, cædes hominis veneno vel artibus magicis facta: cujus criminis rei sunt magi, necromantici, sagæ, strigæ. Micræl.

Veteres cum res certas, ut nomina, speciem, simulacrum, testas, calices ovorum, acu aut stilo, aut graphio perforabant, hoc velut veneficio, & maleficio aliquos lædi existimabant. Ovid. 3. Amor. eleg. 6.

Sagaque Phœnicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur urget acus.

Itaq; hoc sibi ne eveniret, solebant putamina cochlearũ & ovorum ipsi vel frangere, vel pertundere, occupantes & anteverten-

tes maleficium. Plinius. lib. 28. cap. 2.

VENUSTUS. Ἀφροδίτην in talorum jactu invocabant Veteres, ut secundaret τὰς βόλους: quin & *felicissimus jactus* dicebatur *Venus*. Hinc & *venustum* Latini non tantum *formosum* & *amabilem* dicebant, sed etiam *felicem*, & cui omnia prosperè affluerent: Græci similiter ἐπαφρόδιτον. Unde & *Invenustum* Terentius In Andr. Act. 1. Scen. 5. cum infelici junxit: *Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem ut ego sum?*

Et in Hecyra: *Quis me fortunatior venustatisque adeo plenior?*

Ἐπαφρόδιτος igitur propriè ὁ εὔβολος, cui Venus in talorum jactu favet, quique Venerem frequenter jacit: contra *invenustus*, ὁ δύσβολος. Inde ad alia traductum, & sic dictus ad quælibet εὐτυχὴς καὶ δυσυχής. Salmasius.

VERBENAM vocabant frutices, frondes, virgas, ramosque pingves arborum consecratarum, e. g. palmæ, quercus, oleæ, pinus, lauri, myrti, vitis, hederæ, populi, de quibus omnibus accuratè tractant Benedictus Curtius Symphorianus lib. 5. hortorum cap. 1. seqq. Joh. Meursius

ſius in Arboreto ſacro. Breviter Virgilius Bucolic. 7.

Populus Alcidæ gratisſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Vid. Kipping. Antiq. Rom. lib. 1. cap. 11.

Verbena propriè eſt ἱεροβοτάνη, herba ſacra, eam priſci *ſagmina* vocarunt. Hæc de loco ſacro Capitolii ſumebatur, cum coronabantur Fœciales, & pater patratus, fœdera facturi, vel bella indicturi: abuſivè tamen etiam *verbenas* vocamus omnes frondes ſacratas, ut eſt laurus, oliva, myrtus. Vid. Not. Var. in Ter. Andr. Act. 4. Sc. 3.

VERNA ſervus domi noſtræ natus ex ancillâ noſtrâ aut ſervo. Libertos autem vernas etiam antiquæ inſcriptiones nobis referunt. Calvin. Lexic. Jurid.

VERNACULUM, omne, quod domi noſtræ naſcitur, vel in noſtrâ patriâ: ut vernaculum vinum, aurum. Unde *vernacula lingva* dicitur vel ſervilis vel plebeia, quâ tanquam communi ac naturali omnes vulgò loqvuntur, *lingvam maternam* hodie vocamus. Spieg.

VERTERE vid. *Circulus*.

VERUTUM teli genus, ſimile veru,

ru, à quo nomen ei adhæsit, meminit ejus Lucretius libr. 3. & Saluft. libr. 3. Hist.

VESPILLO dicitur vilis cadaverum funerator, ita dictus, quòd tempore vespertino mortuos efferat, qui propter inopiam cum pompâ non poterant de die efferri. Nunc eo nomine appellantur quivis funerum portitores, qui ex officio aut conducti id præstant. Beyerl.

VESTIBULUM, inquit Servius in lib. 2. Æneid. *dicitur prima januæ pars. Dictum autem, vel quod januam vestiat, ut videmus cameram sustentatam columnis. Vel quoniam Vestæ consecratum est: unde nubentes puellæ limen non tangunt, ne numini dicatum locum calcantes sacrilegium committant. Singula enim domus sacrata sunt, ut culmina Diis penatibus: Maceries, quæ ambit domum, Herceo Jovi.* Vid. Tiraq. in Annot. Gen. dier. cap. 24. lib. 5.

VESTIS est vox generalis, quodlibet tegumentum, & quæ ad ornatum faciunt, significans. Hoc sensu etiam è Græcis, præsertim in N. Testamento sumitur vox ἐσθὴς vestis. Matth. 21. 7. Et apud ipsos Scriptores Romanos vestis lato admodum

ſenſu ſumitur, pro qualibet re, quæ tegendi & ſubſternendi uſum habet; *Veſtis* enim *generaliter dicitur, ut ſtragula, forenſis, muliebris &c.* ut auctor eſt Terentius Varro. Braun. de veſtit. Sacerd. Hebr. lib. 1. c. 5. §. 4.

Apud Perſas non tantùm veſtes aureas, ſed & periſtromata, & vela aurea in uſu fuiſſe certum eſt. Videatur imprimis Briſſonius de Regno Perſarum lib. 3. & alibi.

Hinc & ii, qui funus viri Triumphalis comitabantur, geſtarunt ἐσθῆτας διαχρύσους *veſtes aureas*. Porrò veſtes aureas habuerunt non tantùm Hebræorum Pontifices Maximi, ſed & Ethnicorum ſacerdotes & ſacrificantes. Flaminum lænas purpureas & auratas fuiſſe, colligi poteſt ex Virgilio Æn. lib. 4. ubi Æneam, ut flaminem introducit auro veſtitum:

Et tenui telas diſcreverat auro.

At in rebus ſacris aurum ſatis fuiſſe familiare, ſive in veſtibus ſive aliis in rebus, colligi quoque poteſt ex Perſio Sat. 2.

Dicite Pontifices, in ſancto quid facit aurum?

Idem lib. 2. cap. 10. §. 6. 7.

VESTITUS. Veteres ſuperſtitioſi, qui omnium obſervationibus ſe totos

addixerant, etiam genus *vestitus*, sive habitum & *colorem* eò vel imprimis trahebant. De Crasso vide Plutarchum, Dionem & Appianum. Hodie etiam Turcæ plurimum ejusmodi ominibus tribuunt. *Niger* enim color apud eos infaustus habetur. Itaque apparere ibi aliquem in veste nigrâ, fœdi sævique ominis est, adeò, ut Busbequius scribat, aliquando Bassas & miratos & seriò conquestos fuisse, quòd ad ipsos cum veste nigrâ accessisset. Virdung.

Usitatum fuit Laconibus, gestare in bello *purpureas vestes*, ut notæ sanguinis vulneratorum, coloris cognatione tegerentur & minus alii terrerentur. Eustath. Od. ξ.

Antiquitus non solùm mortui dum efferrentur, *pulcherrimis vestibus* erant ornati, quod Lucianus eleganter notat περὶ πένθους: sed etiam quibus moriendum erat, preciosissimam vestem induebant.

Illis, quæ pepererant, honos quidam *vestis* in funere concedebatur, qui aliis sterilibus non tribuebatur, cum alioqui fœcunditas legib. Rom. prærogativâ, & privilegio ornata esset, út jura trium & quatuor liberorum ostendunt. *Veste* autem cadave-

davera tegebantur, ùt è lib. 2. Cic. de legib. constat. Turneb. lib. 23. cap. 7.

Solebant olim mortui efferri *in quàm honestissimâ veste*. Juvenalis:

Pars magna Italiæ est, si verum admittimus,
in quâ nemo togam sumit, nisi mortuus.

Non solis Italis, de quibus Satyricus loquitur, sed vulgò etiam Græcis Latinisq; moris fuit, ut comtiores efferrentur, quàm vixissent. Erant enim καλῶν ἐνταφίων studiosissimi. Ideò Posidippus, ut extremam paupertatem Phyromachi indicaret, elatum ait, ἐν τεύχει χλαίνης Πελληνίδος, frusto Pellenicæ chlænæ tectum leviter, & solùm dicis caussa. Casaubon. in Athen. l. 10. c. 3.

Elegantiæ fuit veterum vestibus, tapetibusque, & aliis hujusmodi figuras hominum, & animalium intertexere. De veste Xerxis ita Curtius: *Pallam auro distinctam, aurei accipitres, velut rostris inter se corruerent, adornabant.* Vide Lud. de la Cerda in Not. ad Æn. lib. 5. pag. 527.

Discolore veste utebantur, qui aliquid publicâ auctoritate facerent, ut etiam hodie. Pithæus lib. 1. cap. 2.

Sic Romanorum Cæsarum ministri fue-

runt *albati*, & certum est, apud omnes ferè gentes olim, honestiorum *vestes* fuisse *albas*: quod pluribus albis probamus. Casaubon. animadvers. in Athen. lib. 4. c. 10.

Vestes versicolores ἄνθινα, luxuriosis olim propriæ & parum pudicis. Ideò cautum Romæ veteri lege Oppiâ, *Ne qua mulier vestimento versiculori uteretur*. Auctore Livio lib. 39. & apud Athenienses ἄνθινα gestare meretricum fuit. Similis lex etiam apud Locros, cujus auctor Zaleucus, teste Suida eodem. Casaub. l. 8. c. 6. in Athen.

Apud veteres gentiles quorundam Sacerdotes *laneas vestes* absque piaculo in sacris gestare non poterant. Tales fuere Sacerdotes Isidis apud Ægyptios, ut docet Plutarch. in Isid. Braun. de V.H.S. l. 1. c. 9.

Ephori olim seu Censores apud Lacedæmones civium vestes quotidiè observabant, *numquid à decenti & debito ornatu deficeret*. Iidem solis meretricibus floridas vestes aureumque mundum gestare permiserunt, ut ab iis honestæ fœminæ discernerentur.

Solennis mos Romanis, Sacra *candidis vestibus* peragere. Q. Curt. libr. 4. cap. 13.

Ille

Illle in candidâ veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces regi, Jovem, Minervam, Victoriamque propitianti. Ovid. Fastor. 1.

Vestibus intactis Tarpeias itur ad arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

Etiam spectaculis intererant *candidati.* Martialis Epigr. 4. 2.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis;
Cùm plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum duce, candidus sederet.

Apud Græcos quoque plurimus usus *albæ vestis.* In Panathenæis nefas *atrâ veste* spectare. Rader. in cit. loc. Curt.

VETERANI sunt, qui militiâ honeste dimissi & sacramento soluti sunt. *Veteranus* etiam, Modestino autore, esse creditur, non solum legionarius, sed omnis, qui qualitercunque militaverit, honeste est absolutus. Calvin.

VETERATOR. Mancipiorum usualium duplex genus, *novitiorum* & *veteranorum*: *illa* rudia sunt ac simpliciora: *hæc* astuta & callida: hinc itaque versuti & multâ arte exercitati *veteratores* dicti sunt,

ut

ut Sextus Pompejus inquit. Lindenbrog.

VETUS vid. *Antiquus.*

VEXILLUM signum est militare, quo una cohors aut turma ab aliâ secernitur & plerumque peditibus competit, qui sub signis aut vexillo constituti dicuntur. Continebat autem vexillum, teste Livio l. 8. ab U.C. viros 186. hodie plerumque 100 aut 150. Beyerl.

VIATICUM. Heroicis temporibus, qui ab se amicum dimitterent, illum viatico cibario adornabant: imò hoc propriè fuit viaticum, non pecuniæ. Id plurimis auctorum locis firmat Lud. de la Cerda in 1. Æn. ibi: *Vina bonus, quæ deinde cadis &c. dederatque abeuntibus heros.*

VIATOR. Hæc vox vel generatim sumitur vel speciatim. *Generatim* accipitur pro eo, *qui iter facit.* Unde in Glossis Phil. exponitur ὁδοιπόρος. Cic. in Milon. *Quia non semper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur.* Et lib. de fato: *Hoc modo viator quoq; benè vestitus causa grassatori fuisse diceretur, cur ab eo spoliaretur.* *Speciatim* verò usurpatur pro *apparitore* seu *ministro publico.* Cujus significationis ratio-

nem

nem adfert Tull. in Cat. Maj. Voss. Etym.

Festus: *Viatores appellantur, qui Magistratibus apparent, eò, quia initio tribuum, cùm agri in propinquo erant urbis, atque assiduè homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in viâ, quàm urbe: quòd ex agris plerumque homines vocabantur à Magistratibus, & frequens eorum erat ab agris ad urbem via.*

Columella in Præfat. lib. 1. *Illis temporibus proceres civitatis in agris morabantur, & cùm consilium publicum desiderabatur, à villis arcessebantur ad Senatum. Ex quo qui eos evocabant,* Viatores *nominati sunt.*

VICUS vid. *Angiportus.*

VIGILIÆ. In his tria consideranda: 1. *Tessera.* 2. *Ipsæ vigiliæ.* 3. *Circuitio.*

Tessera hoc modo data & accepta. In quoque genere equitum & peditum ex decimo signo, quod ultimum erat, unus vir eligitur, qui *tesserarius* ab ipsâ re dictus. Is quotidie, Sole jam inclinante, ad Tribuni tentorium venit &, signum petit; Illud Tribuni ab Imperatore accipiebant in milites per Centuriones transfundendum,

Erat autem signum aut tessera militaris tabella latiuscula e ligno, inscripta ipso nocturno

ćturno signo aut dicto, quod esse vellet Imperator; Et hæc tessera dabatur adhibitis testibus, ne quis negaret, esse datam. Cæsaris quandoque tessera fuit *Felicitas* aut *Victoria*. Pompeji M. *Hercules invictus*; Severi Septimii, *Laboremus*. Pertinacis, *Militemus*. Cassius Chærea Tribunus C. Caligulam Imperatorem occisurus, conjuratis hanc tesseram dedit: *Repete*, atque ita tyrannus crebris conjectus est vulneribus.

Vigiliæ per manipulos erant dispositæ. Vigiles quaterni se dividebant in quatuor partes, ita ut singuli vigiliam unam noctis obirent, scilicet per ternas quisque horas, vigiliæ noctis quaternæ erant & singulæ in horas ternas divisæ: unus itaque suæ vigiliæ perstabat intentus ac vere vigil, alii adjacebant aut accubabant.

Circuitio positas vigilias firmabat, alioquin in noxam ruituras. Ea commissa equitibus de more & Tribunis; Ipsi etiam interdum Imperatori; postea *Circuitores* Græcè περίπολοι, quos vulgo dicimus *Ronda*, proprium aliquod munus fuit. Si quod vigilum delictum esset, statim circuitor ostendebat adhibitis testibus è proximis; qui con-

convictus, fuste percutiebatur. Ad excitandum duo adhibita, nempe *buccina* & *voces*, quæ erant *Vigila, Vigila.* M. Fr. Hildebr.

Excubitores ac *vigiles* solebant cantu tempus fallere, cantilenisque, quibus Regis sui justitiam virtutemque efferebant, noctem insomnem traducere. Ammian. Marcellinus lib. 24. *obtruntarunt vigiles omnes ex usu moris gentici justitiam, felicitatemque Regis sui canoris vocibus extollentes.* Vide etiam Zosimum lib. 3.

VIGINTIVIRATUS causis dijudicandis fuit: quod munus magnæ indolis juvenibus conferri solebat. Illinc enim gradum ad reliquos honores auspicabantur viri exculti ingenio & doctrinâ. Et *centum viri*, amplissimum judicium, qui populo jura aliquandiu dixere: à quibus nulla erat provocatio: quorum *judicia centumviralia* dicebantur. Alex Neap. Gen. dier. lib. 3. cap. 16.

VIGINTISEXVIRI. Consvetudo Romæ fuit, ut quotannis 26 viri populi suffragiis crearentur: è quibus constituebantur Decemviri stilitibus judicandis Triumviri monetales, Triumviri capitales

Qua

Quatuorviri Curatores viarum intra urbem, Duumviri Curatores extra urbem, & quatuor Præfecti, qui in Campaniam mittebantur. Quæ vetus consvetudo sub Augusto partim servata, partim abolita est. Dio lib. 54. fuse. Meminit eorundem *Vigintisexvirorum* & Festus in *Præfectura*, cujus locum cum verbis Dionis confer. Casaubon. in Sveton. Aug. cap. 36.

VINALIA. Romani vina, quæ annum saltem præteriissent, utplurimum bibebant. Nam *vinalia festa* degustandis vinis instituta 13. Calend. Sept. fiebant, ut Plin. scribit. Græci verò quod eadem nova, nec dum sextum mensem adepta, frequenter potarent, Galenus quoq; testatus est. Mercur. lib. 1. Variar. cap. 15.

E vasis vinariis pendebat tabella, in quâ, ipsó Galeno teste, vini ætas scripta erat, id est, quo tempore, quibusve Consulibus conditum esset. Id quod variis Poëtarum locis, quæ longum esset referre, lucem adferre potest. Juvenal. Sat. 5.

Cujus patrium titulumque senectus
Delevit, multâ veteris fuligine testæ.

Hinc jocus Martialis lib. 7.

Potavi

Potavi modo consulare vinum.
Quæris quàm vetus, atque liberale?
Ipso Consule conditum.

Vina autem plerumque in doliis inveterascere non sinebant antiqui, sed in amphoras & cados diffundebant. Juvenal. Sat. 5.

Ipse capillato diffusum Consule potat.

Horatius lib. 1. Epist. 5.

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Thes. Crit. part. 2. Joan. Brod. c. 3. Grut.

VINDICATIO & *in jure cessio* hæc erat: Si quis servum aut aliam rem corpoream sibi vendicare vellet, apud Prætorem ita agebat: Vindicator tenens servum in jure ita dicebat: *Hunc hominem ex jure Quiritium meum esse ajo.* Prætor interrogabat eum, unde petebatur, an contra vindicaret, id est, an contra servum illum suum esse assereret. Eo tacente aut cedente, Prætor servum addicebat vindicanti. Qui autem vindicaverat, *lege egisse*; qui cesserat, *in jure cessisse* dicebatur. Prætoris erat *Addictio.* Sin autem ille contrà vindicaret, tum & ipse servum corripiens & quasi de manu vindicantis abstrahens dicebat: *Et ego hunc hominem meum esse ajo ejusque vindicias mihi*

conservari postulo. Tum Prætor interdicebat: *Qui nec vi, nec clam, nec precariò possidet, ei vindicias do.*

VINDICIÆ. Ea vox propriè notat possessionem rei, ut ædium, fundi. De servi vindicatione jam dictum est. In fundo aut domo manus consertio facta est in hunc modum: Petitor in jure eum, unde petebatur, ex jure manu consertum vocabat dicens: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est, eum ego ex jure Quiritium meum esse ajo, inde tibi ego te ex jure manu consertum voco.* Ille verò, nisi cessisset, respondebat: *Unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco.* Tum Prætor utrisque dicebat: *Istam viam dico, inite viam* (præstò aderat Sapiens, qui viam inire doceret) *redite viam.* Eodem duce redibant: In agro verò sive domo manum conserebant, i. e. terræ aliquid ex agro aut unam glebam & de domo festucam sumebant, ita manum conserebant, atque ad Prætorem deferebant: & in eâ glebâ vel festuca, tanquam in toto agro, vel in totâ domo vindicabant. Ea gleba vel festuca dicebatur *Vindicia.* His itaq; in jus allatis vindiciis

is actor, qui dejectus erat, eas tenens dicebat: *Hunc fundum, sive hanc domum meam esse ajo ex jure Quiritium, eoque restitui, unde dejectus sum postulo.* Tum prætor: *Unde tu illum dejecisti, cum nec vi nec clam, nec precariò possideret, eò illum restituas jubeo.*

Manum conserere dicebantur litigantes, cùm in agrum aut aliam rem, de qua erat controversia, profecti; rem litigiosam aut aliquam ejus particulam manu apprehendebant, jusque suum in re præsenti vindicabant. Hildebrand.

VINDICTA, inquit Boëtius in Topico Ciceronis lib. 1. est virgula quædam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens, eundem servum in libertatem vindicabat, dicens quædam verba solennia, atque ideo illa virgula *Vindicta* vocabatur. Hinc Persius Sat. 5.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi.

Et post.

An dominum ignorat, nisi quem Vindicta relaxat;

Dicebatur etiam *Festuca.* Vid. ibi.

VINUM. Veteres in conviviis suis vino utebantur ad hæc *tria*, *necessitatem, voluptatem* & *pietatis officium*: Quod *necessitati* dabatur, promiscue inter edendum su-

mebant, ut quemque fitis admoneret, & bibendi appetitum in quoque lex naturæ excitaret. At *bibere voluptatis causa*, & *Diis libationes facere*, finitis demum epulis, aut saltem primis mensis comesis incipiebant poscere illi tum majoribus, & pocula diversi generis expedire: & simul in hilaritatem omnibus modis se effundere. Casaub. in Athen. lib. 11. cap. 1.

Romanas matronas vino abstinuisse olim, vulgo notum est. Eâ autem de re scribit Athenæus ex Polibii sextâ historiâ, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον, τὸ δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. Ex quibus verbis intelligimus, non prorsus abstemias fuisse Romanorum mulieres: non enim ab omni vino abstinebant, sed tantùm à *temeto*: quam vocem in antiquâ Romuli lege eâ de re lata, positam fuisse conjicimus ex A. Gellio lib. 10. cap. 24.

Ait amplius de matronis Romanis, οὐδ' ἔχει οἴνου κυρίαν ἡ γυνή. Libri veteres & Suidas, κυρείαν, rectè: pro ἐξουσίαν, potestatem & liberam administrationem: Claves cellæ vinariæ non habebant matresfamiliarum. Nota historia ejus matronæ, quæ, ut refert

Plinius

Plinius ex Fabio Pictore, quòd loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inediâ est mori coacta. Vid. Casaub. in Athen. lib. 10. cap. 11.

VINUM Consulare. Notum est, cados atque amphoras nominibus Consulum fuisse inscriptas ad tempus ætatemque vini indicandam, jam inde ab ipsius conditione inchoatam. Horat. l. 3. C. O. 20.

O nata mecum Consule Manlio Testa &c.

& passim. Hinc cum L. Opimio Cos. vini bonitatem præcipuam commendet Plinius libr. 14. c. 4. rectè Cicero Opimianam, ùt & Anitianam vini notam optimam appellat ex illorum hominum Consulatu. Factum inde est, ut *Consulare vinum* pro vetustissimo & optimo fuerit usurpatum: sicuti A. Turneb. Adv. lib. 25. cap. 24. Ex illo Martialis notat:

Potavi modo Consulare vinum.
Quæris, quàm vetus atque liberale?

Monet tamen Gualtherius ad Horat. libr. 1. ep. 15. nisi ad ætatem vini laudabile soli ingenium accesserit, tum generositatem illam, quæ ex loci bonitate magis, quàm vetustate æstimanda sit; planè defuturam.

Vinum enim illud nullam ferè vetustatem, & vel tantillo fieri *edentulum*, h.e. ut ipsemet interpretatur, nullarum virium, aut certè perexiguarum: quanquam Plautus in Pœn. vinum vetustum, & ob id preciosum, licentiosâ quidem, at eleganti locutione, *edentulum* appellasse videtur: cui ob ætatem & senium quasi dentes exciderint. H. Salmuth in Panciroll. part. 1. tit. 25.

VIRGATORES, *Lorarii*, *carnifices*, qui virgis cædunt. Apud Romanos morti addictus virgis cædebatur, deinde necabatur. Interim cùm facinus non erat grave, satis habebant, virgis cædere. Tum etiam, qui creditoribus addicebantur, multa turpia & miseranda patiebantur, nexi apud creditores, multasque servili more in tergo plagas. Calv. Vid. Annot. in Liv. l. 2.

VIRIDE est, quod adhuc plenum succi viget ac nitet: cui, quod jam exaruit emarcuitq; ac flaccidum redditum est, opponitur. Vid. Buchn. in Ep. Plin. 24. l. 7.

VISCERATIO erat crudæ carnis distributio, quæ fieri solebat, vel in solenni festivitate, vel in funeribus magnatum & potentum, in quibus carnes sive crudæ

ſive coctæ, quandoque etiam panis vinumque domum perferentibus præbebatur. Vide eâ de re Blond. lib. 2. Romæ triumphant. Alexand. G. D. l. 5. c. 7. & l. 3. c. 7.

VITTA. *Vittæ* capitis ornamenta muliebria, quibus mulieres capillos colligabant. Ovid. 1. Metam.

Vitta coercebat poſitos ſine lege capillos.

Eædem dicebantur *Tæniæ.* Præterea *vittæ* erant in multiplici uſu: Erant enim vittati Sacerdotes, Poëtæ, ad ultimum ſupplicium ducendi, Templa ipſa, aræque Deorum, victimæ, naves è portu exituræ, faces nuptiales. Tandem & matronarum geſtamen Vittæ, quibus illæ à meretricibus diſcretæ, ſed & virginum nondum nuptarum. Val. Flacc. l. 8. Argon.

Ultima virgineis tum flens dedit oſcula vittis.

UMBO eſt media illa pars ſcuti, quæ protuberat & exſeritur cum rotundo tumore. Ideò umbo, quod Græcis eſt ἄμβων. Uſus ad avertendos vehementiores ictus lapidum & ſariſſarum & cujuſcunque violenti teli. Eo etiam hoſtes avertebant: nam in conflictu & pugnâ cominus utebantur eo ad impulſum. Lipſius.

UNCTORES servi sunt, qui in balneis dominum ungebant, atque illi muneri destinati erant. Consvetudo enim erat Veterum singulis diebus, antequam cibum caperent, in balneo se lavandi, & postea ungendi. Calvin.

Solebant Veteres non caput modò & pedes, sed pectus quoque unguentis illinire, non solùm ob boni odoris gratiam; sed quia vitæ atque animæ sedem in corde sitam esse arbitrabantur, quod Athen. docet lib. 15. cap. 14. Et convivis non solum innuncti pedes, aut caput, sed data etiam inter apophoreta, sive corollaria, vasa magni pretii unguenti plena, quod idem docet, maximè lib. 4. cap. 1.

VOLONES appellati servi, suâ sponte militantes. Etsi enim servis post inductam servitutem militiâ interdictum, idque semper constantissime observatum, tamen cum ingente aliquâ clade acceptâ, publicæ calamitatis necessitas horum etiam operam desideraret, ut bello Punico cum se ultrò obtulissent militiæ, nomina eorum libentibus civium animis accepta sunt, & *Volones* appellati, quòd sponte suâ

id

id fecissent, cúm legibus non tenerentur. Idem post Cannensem pugnam & sæpè aliàs factum est. Neque tamen ii simulac in numeros relati essent, libertate & civitate donabantur, sed militiæ tantummodò jus habebant: Testamenti & cæterorum privilegiorum non habebant. Hoc ostendi potest ex Livio, lib. 4. Decad. 3. Calvin.

VOLUCRIS vid. *Ales.*

VOTUM. Vota taciti, aut murmurantes faciebant. Fuit hæc superstitio veterum, ut audiri nollent, cum vota Diis conciperent. Juvenal. Sat. 10. Pers. Sat. 2. Senec. ep. 10.

URBS dicta Veteribus ab *Urbo*, quod est aratri curvatura; siquidem olim aratro futuræ urbis magnitudinem spatiumque muro cingendum destinabant. Aliis tamen *urbs* ab *orbe* dicitur, quod in orbem circumduceretur aratrum cum prima mœniū fieret designatio, teste Varrone.

URNA. Urnæ cistæ erant in judicio positæ, in quas tabellæ, quibus Judices sententiam ferebant, mittebantur. Positæ autem erant tot urnæ, quot judicum Ordines, *tres* quidem, cúm omnes adhibiti

ſunt, una *Senatorum*, altera *Equitum*, tertia *Tribunorum ærariorum*. Tabellæ itidem tres erant, una *Abſolutionis*, cujus nota litera *A. Abſolvo:* Altera *Condemnationis*, cujus nota *C. Condemno*: tertia *Ampliationis*, cujus notæ *N L. Non Liquet*. Vid. *Ampliatio.*

Formula *abſolutionis*: *Non videtur feciſſe*, aut *Jure videtur feciſſe*. *Condemnationis*: *Videtur feciſſe*, aut *non jure videtur feciſſe*. *Ampliationis*: *Anplius cognoſcendum*. Hild.

UTERINI vid. *Germani.*

VULTUS vid. *Facies.*

UXOR dicitur vel ab ungendis poſtibus & figendâ lanâ, id eſt, quod cum puellæ nuberent, maritorum poſtes ungebant, ibique lanam figebant: Vel quod lotos maritos ipſæ ungebant; cujus rei teſtis Ennius:

Exin Tarquinium bona fœmina lavit & unxit.

Donat. in Hecyr. Act. 1. Sc. 2.

X

X. Myſteria & ſymbola hujus & Literæ & Numeri non exiguæ ſunt conſidera-

tio-

tionis. Nam in ordine Alphabeti nostri vigesima prima litera est; Significatione verò est denarius. Quo circa Dei unitatem in essentia, & Trinitatem in personis nobis mysticè demonstrat. Numerus enim vigesimus primus in se ipsum collectus, nihil aliud est, quàm ternarius. Etenim si duæ hæ figuræ 2 & 1, quibus numerus iste componitur, in summam unam colligantur, in tres rediguntur; denarius autem in unitatem redit. Quamobrem Plato censuit, denarium numerum eâ potissimum ratione perfectum esse, quòd ab unitate suum sumens exordium, tot simplicibus, coacervatisque monadibus construitur, donec decade completâ, in ipsam denuò, à quo processit, refluat unitatem. Vid. Laur. Beyerl.

XENIUM est munus parvum, hospitibus dari consvetū, pro læto adventu, teste Martiali lib. 13. Epigr. 3. hisce versiculis:

Omnis in hoc gracili, Xeniorum turba libello
Constabit nummis quattuor emta tibi.
Quattuor est nimium: poterit constare duobus.

Vid. N. Myler. ab Ehrenbach Hyparchol. c. 4 §. 13.

XY-

XYSTUS, ξυστὸς Græcis Porticus est: ubi exercebantur per hyemem athletæ: Latinis *Xysti* & *Xysta*, hypathræ sive subdivales ambulationes vocantur, ante porticus factæ, arena seu terra rasâ æquataque, unde & nomen est, stratæ; Cæterum viridibus arboribus, floribus, ornatæ ac expolitæ.

Y

Y. litera Antiqui non semper usi sunt, sed aliquando loco illius V ponebant. Itaq; in illorum quoque libris hanc scripturam observandam censeo: *Suriam*, *Suracusas*, *Sumbola*, *Sucophantas*. Sed Scaurus de Orthog. Y literam supervacuam Latino sermoni putavit, quoniam pro illâ V cederet: sed cum quædam in nostrum sermonem Græca nomina admissa sint, in quibus evidenter sonus hujus literæ exprimitur, ut *Hyperbaton* & *Hymnus* & *Hyacinthus*, & similia, in eisdem hac litera necessariò utimur. Scioppius.

Litera Y *Pythagoræ litera* inscribitur, quod is ex eâ symbolum acceperit duarum via-

viarum, quæ nobis propositæ sunt, & significantur per sectionem hujus literæ in duas partes, quarum dextra angustior, ad virtutem nos invitat: altera spatiosior & magis ampla, vitiis viam aperit, perinde ac si Christum audivisset dicentem, *Angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et paulò ante: *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam* Matth. 7. Loquitur verò de viâ salutis & perditionis: virtutis & vitiorum, quarum priorem alterâ difficiliorem dicit, quod ardua sit & unica, nec ita multis calcata vestigiis: Hæc pronior & multis ambagibus pervia, ac plurimorum frequentatione attrita. Unde illud Poëtæ:

Facilis descensus Averni &c.

Ut autem ad *literam Pythagoræ* revertamur, utitur illius similitudine Persius Sat. 3. instruens nobilem adolescentem, ut circa literarum studia se sedulum præstet, eumque à virtute commendat his versibus:

Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.

Intelligit autem *Litteram Pythagoræ*, qui Sami-

Samius erat genere, duabus vitæ humanæ viis applicatam, cujus callem dextro limite ſurgentem, qui virtutis erat, ei monſtratum aſſerit. Deſcripſit verò hanc literam eleganti hoc carmine.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrùm petit ardua callē.
Difficilemque aditum primùm ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata, ſed ultima meta
Præcipitat captos volvitque per ardua ſaxa.
Quisquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decusque parabit.
At qui deſidium, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incautæ mente labores,
Turpis inopsque ſimul miſerabile tranſiget ævum.

L. Beyerl.

Z

Litera Z veteribus ſymbolum videtur geſſiſſe Mortis, fortaſſis quòd cùm poſtre-

ma esset literarum apud Latinos, ut habet versus Quint. Stoa.

Sepulchrales imitetur concita dentes.

Testis hujus symboli est Laërt. lib. 6. de vitis Philosophorum.

Sex horæ tantùm rebus tribuuntur agendis.
Vivere post illas littera Zeta monet.

De eâdem facetum extat Epigramm. Bernardi Bahusii è Societate Jesu :

O Zeta felix! ô beata litera!
Quæ dulce, croceum, mite, floreum, vernum,
Blandumq; Zephyri blanda nomen inchoas!
Sed nec beata es tota, nec felix;
Nam triste & horridum, & pice nigrius nigrâ,
Fimoque olentius capellarum,
Etiam scelesti, Zeta, scribit Zoile
Misella nomen, mitte Zeta, vah mitte
Ferale nomen: quid tibi cum Zoilo?
Nam voce in istâ litterâ innocens nulla est;
Tu nomen orbis optimum, tu pessimum
Eadem figures? non feremus hoc vates,
Nunquam feremus. Sit supremum hoc, Zoilum
Aut mitte, Zeta, aut te vocabimus Theta.

L. Beyerl.

Z in ſortibus inauſpicata fuit, & mali eventus. Alex. ab Alex. G. D. l. 3. c. 4.

ZETA. Moris apud veteres fuiſſe conſtat, ut Zetam haberent, hoc eſt, cubiculum quoddam hibernum, frigori accommodatum, quod igni quandoque caleſceret, plerumque Sole. Ita enim conſtructum erat, ut per vaporarium quoddam ſolare & apricum, ad quod Sol hibernus accedebat, vaporem & calorem acciperet. Locus autem, qui ita calefactus Zetam evaporabat, *Heliocaminus* appellatus eſt, quaſi Solis vaporarium ſive æſtuarium dicas. Ut Coraſius interpretatur lib. 1. Miſcellan. cap. 14.

Sipontinus *Zetas* [quæ in uſu noſtrâ tempeſtate non ſunt; à veteribus autem frequentiſſimè habebantur in ædibus] loca fuiſſe ſcribit, in variis partibus domus: ad quæ per meatus quoſdam intra parietem relictos, qui *Tubuli* dicebantur, aſcendentes ex imo ſpiritus frigidæ ſeu calidæ atque in pavimento ſparſæ, locum ipſum aut tepefaciebant, aut refrigerabant, prout ratio temporum exigere videbatur. Unde *Tubulos* Proculus definit, per quos flam-

flammâ torretur paries. l. quidam Hiberus. 13. ff. de servit. urbanor. præd.

Per *Zetam* Adrianus Turnebus Dietam intelligit l. 24. Adversar. cap. 4. utrumque verbum promiscuè usurpans, quo *cœnaculum* significatur, naturâ vel arte calefactum, ut Corrasius interpretatur: in quo hyeme ad Solem; æstate ad umbram cœnando vivimus & conversamur: à διαιτῶμαι, quod *vivo* & *conversor* significat, id dictum, & *diætis* quidem à veteribus varia imposita fuisse nomina, Titus Popma docet de oper. servorum f. 63. Henr. Salmuth in Panciroll. P. 2. tit. 23.

ZODIACUS est circulus cœlestis, in quo XII signa sunt, quæ Sol singulis annis percurrit. Latinè *Signifer* dicitur.

Cur signa Zodiaci à certis animalibus & rebus nomina sortiantur, rationem dare conantur, qui Sphæræ compositionem tradiderunt.

Et quidem *primum* signum *Arietis* nomine vocarunt Septentrionales, quod cùm Sol illud ingreditur, illam cœli partem, quæ dextra est, incipiat calefacere, cùm antea in sinistrâ parte latuerit. Fe-

runt autem Arietem totâ hyeme in ſiniſtro latere cubare, & calore adveniente ſe in dextrum vertere.

II. *Taurus* dictum, quòd tunc labores taurorum incipiant, ſegetibus è terrâ erumpentibus.

III. *Geminorum* eſt, quia velut gemino calore terras Sol calefacere incipit, eſtque menſis ille nuptialis & feſtivus.

IV. *Cancri* nomen habet, in quo dum Sol eſt, videtur à nobis velut retrogredi & recedere.

V. *Leo* dicitur, quòd tunc maximé vires ſuas calor exerat & ſiccitatem inferat.

VI. A *Virgine* nomen ſortitur, quia tunc Sol ad maturitatem perducit fructus, neque quidquid novi producit.

VII. *Libra* dicitur, quia dies noctibus æquantur & velut bilance ponderantur.

VIII. *Scorpius*, quod Sol inambulans in receſſu inſtar ſcorpionis caudâ ferientis, ſeptentrionales frigore pungere incipit.

IX. Ab homine *Sagittam emittente* appellatur, quia dum Sol illud inambulat, grandines & imbres velut ſagittâ nobis immittuntur.

X. *Caper* nomine, quia inſtar capræ ſe

ad

ad frondes arborum erigentis, Sol ad nos reverti incipit, ex maximâ declinatione.

XI. *Amphora* maximam pluviarum copiam dimittit.

XII. A *piscibus* nominatum terram aquis inundat, & phlegmata dominantur Sole in illo Signo existente. L. Beyerl.

Signorum virtutes:

Ignea producunt Aries, fervens Leo, Chiron.
Terrea cum Tauro Virgo, nec non Capricornus.
Aeriam faciunt Libra, Urniger atque Gemelli,
Scorpius & Pisces retinent, ut Cancer, *Aquosa*.

ZONA, Cingulum, quo cingimur.

Virginitatem per *Zonam* significare, tam Græcorum & Latinorum est, quàm etiam Hebræorum. Trœzeniorum virgines *zonam* Palladi Apaturiæ ante nuptias dedicabant, sicuti crines Hippolito, cui Diomedes templum excitarat, quod Aurigam in cœlo positum, Hippolytum crederent.

Jugalia verò vincula quæ sint, apud Poëtas omnes vulgata sunt. Nova sanè nu-

pta cingulo præcingebatur ex lanâ ovillâ facto, quod vir primâ nocte, in Deæ virginalis honorem, sponsæ accubans in lecto solvebat. Unde Homerus, λύσεν δὲ παρθενίην ζώνην. Et apud Ovidium:

Castaque fallaci & zona recincta manu.

Eoque spectat Catullianum istud:

Qui zonam solvit diu ligatam.

Indicabat verò hieroglyphicum hoc, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se est, sic vir suus secum cinctus junctusq; esset. Cingulumque doc Herculaneo nodo vinctum, vir ominis gratiâ solvebat, ut sic & ipse in liberis suscipiendis felix esset, quemadmodum Hercules fuit, qui liberos septuaginta reliquisse fertur. loc. cit.

Quinetiam *Zonæ solutio* puerperii fuit hieroglyphicum: Olim siquidem *Solvere Zonam* dicebantur, quæ primò pariebant, eâque de causâ levatæ partu mulieres, zonam Dianæ dicabant. Unde fanum *Solvizoniæ Dianæ* Athenis fuit, de quo apud Apollonium Argonauticis.

Pro *Fortitudine* etiam ponitur *Zona*. Cinctus enim apud Romanos strenuum significat, uti discinctus imbellem & ignavum,

ac nihili hominem notat. Pier. Hierogl. lib. 40. cap. 45.

Hinc *cinctus*, sive ea corporis pars, quæ cingitur, Marti antiquitus fuit consecrata, ùt frons Genio; brachia Junoni: pectus Neptuno: renes Veneri: pedes Mercurio: digiti Minervæ. Alexand. ab Alexandr. G. D. lib. 2. cap. 19.

Notum, milites olim in bellum ituros pecuniam in zonis gestasse. Unde Spartianus in Pescennino Nigro: *Idem jussit, ne in Zonis milites ad bellum aureos, vel argenteos nummos portarent, sed publicè commendarent recepturos post prælia, quod dederant.* Cujus rationem reddit Lampridius in Alexandro: *Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, satur, & habens aliquid in Zonâ.* Not. in Gell. lib. 15. cap. 12. Hinc *Zonam perdidit*, proverbialiter dicitur in eum, qui omni pecunia destitutus est.

ZONARIORUM nomine olim etiam continebantur marsupiorum aut crumenarum conficiendarum artifices, quòd veteres peregrè abituri, argentum in Zonis portarent. Matth. 10. v. 9.

FINIS.